DE VARIOLIS TRACTATUS AUTHORE CÆSARE MARESCOTTI PHILOSOPHO, ET MEDICO BONONIENSE...

Cesare Marescotti

CL-111 P5 MA

Googl

DE
VARIOLIS
TRACTATUS

AUTHORE

CÆSARE MARESCOTTI

PHILOSOPHO, ET MEDICO
BONONIENSE
IN PATRIO ARCHIGYMNASIO
ANATOMES PROFESSORE.

BONONIÆ MDCCXXIII.

Typis Conſtantini Piſarri Sanctæ Inquiſitionis Impreſſoris,
ſub Signo S. MICHAELIS. Superiorum permiſſu.

AMPLISSIMIS, ATQUE EXCELSIS SENATUS BONONIENSIS QUINQUAGINTA VIRIS

Amantiſſimis Patriæ Patribus

Cæſar Marſcotti perennem Felicitatem.

CUm inter prava Hominis opera nihil ſit, quod majori proſequar odio, quam ingrati animi vitium, quo, ut male locatę gratiæ Largitorem perpetua laceſſit expro-

bratio, ita ornatum officio magna ruſticitatis nota dehoneſtat; ingenuè fateor me diù mente revoluiſſe qui vobis Ampliſſimi, & Excelſi Patres, aliquod grati animi ſpecimen exhiberem. Hujuſmodi animum alit aſſiduè indelebilis acceptorum beneficiorum memoria, quæ nunquam ſanè in me poterit obliterari, cum mihi intra proprios lares degenti, quocumque me vertam, ubique veſtræ occurrant argumenta munificentiæ. Non ego ſolum, ſed fratres quoque mei Lucius, & Dominicus vos munificentiſſimos experti ſumus; quorum alter ſæpiſſimè in ſupremum Antianorum Magiſtratum cooptatus eſt; oblatamquè ſumma humanitate à vobis in publico Archigymnaſio Cathedram, quam efflagitantibus conſequi difficilimum eſt, libentiſſimè ut potè magni honoris teſſeram ſuſcepiſſet, niſi munus ſibi à Romano Pontifice injunctum, aſſiduum, & laborioſum onus cauſis patrocinandi, tempus ei ad hanc ſpartam exornandam eripuiſſent; alter Franciſcanam Familiam ingreſſus Dominici nomine in Decium Bonaventuram im-

mu-

mutato, vel Juvenis in veſtro Scientiarum Athenæo ad Sacræ Theologiæ exhedram à vobis evectus eſt. Utriquè propoſitum erat, quantum vobis teneretur aliquo monumento teſtari; verum immatura mors neutrum voti compotem fieri permiſit. Superſtes ego Lectorum albo quoquè adſcriptus, nunquam exhauſto veſtro erga meam domum gratiarum fonte, conſilio futuri ex præterito veniente, id, quod mei Fratres præpropera morte occupati non peregerunt, in præſentia abſolvo. Anteactis temporibus cùm docendo, tùm Anatomen publicè adminiſtrando niſus ſum meo muneri non deeſſe. Modò cum mihi ad ſenium vergenti vires non ſuppetant ad ſcandendam iterum Cathedram Anatomicam, mea circa rem medicam cogitata publici juris facere decrevi. Quò autem major appareat mei erga vos grati animi ſignificatio, vobis hoſce de Variolis Dialogos in lucem prodeuntes offero, ac dico. Quæſo non munus hoc quod vobis exhibeo, ſed offerentis amplitudinem animi intueamini, qui profecto major ope-

re, me ipſo quoque major, neque vobis minor fortaſſe exiſtit. Liber hic tantorum Virorum fultus præſidio Ariſtarcorum, & Zoilorum dentes eludens mihi animos addet ad perficiendum inchoatum molis longè majoris opus, quod è tenebris emergens vobis pariter (dummodo id veſtra ſinat humanitas) maximis liberalium Artium Mecenatibus dicabitur.

Am-

AMICE LECTOR.

FRequentes præteritorum annorum Variolarum morbo laborantium, qui anno nuper elapſo contigerunt, me ad accuratè inquirendum in Veterum, & Recentiorum monumentis tam perniciosæ luis ortum, cauſam, & ſeriem impulerant. Quamobrem conſultis Medicinæ Principibus Hippocrate videlicet, & Galeno, cum ubi hanc affectionem cutaneam deſcriptam non videam, qui Authores cæteroquin exactiſſimi ſunt (ut Profeſſoribus eſt exploratum) in proponenda multiplici à ſtatu naturali exceſſu, in eam ivi ſententiam Variolas eſſe unum ex illis morbis, quos Natura poſt plurium Sæculorum fluxum, conſilio mihi ſanè incomperto, in Mundum invexit. Quapropter rejecta quorumdam Doctorum opinione ſentientium omnes morbos ſemper extitiſſe, validis, ni fallor, probo rationibus fieri poſſe, ut quandoque novi morbi procreentur. Deinde à ſtatu rerum merè poſſibilium, ad exiſtendum eſſe tranſitu facto, plures morbos Homines torquentes veteribus prorſus incognitos in propatulo pono, quos omnes in unum collectos in primo hujus Libri capite ſigillatim expendo. Porrò cum è Græcorum ſcholis egreſſus, quamvis veterem indaginem Variolarum primordia ignorarem, curſu ad Arabum libros deductus, ibi ad, quod meum ſciendi libidinem non nihil ſedaret inveni. Iſti Doctores ſuis Variolas accuratè deſcribunt, illarum curſum inquirunt, ſtatuuntque (prout tamen par erat ab iis imbutis philoſophandi ratio) & remedia ad hunc morbum tollendum præſcribunt. Qui vero meum Animum ſolicitudine inquirendi, quonam tempore Variolæ primum viſæ fuerint, liberaverunt, alias in eam invexere curas, non adducta congrua hujus morbi cauſa. Sentiunt Arabes Variolarum geneſim ſanguini menſtruo adſcribendam eſſe. Hæc opinio magni momenti patitur difficultates, quas tibi dilucidè in hoc opere ob oculos mentis pono. Hoc præſtito placita Doctorum, qui poſt Arabes, ad hæc uſque tempora de Variolis diſſeruerunt, diſcutio, quæ cum ſolido rationum pondere deſtituta reperiam, explo-

do. Dum hoc efficio, lubet ſaltuatim in plures quaeſtiones philoſophicas, medicas, alteriuſque generis evagari, quò tu nuius morbi cauſſam inquiras multiplici imbuaris eruditione. Qui oculos dirigit in aliquod objectum, ut illud, ita res quoque illi adjacentes intuitus. Dum Naturam per experimenta torquemus, ut alicujus effectus nobis cauſſam manifeſtet, ſaepe in pulcherrimas, & proficuas incidimus notitias toto Caelo quandoque à re, quam inquirebamus, abludentes, ut Philoſophiae experimentalis cultoribus compertum eſt. Quod autem in rerum intuitu, & Naturae ſcrutinio contingit, hic experieris, dum unum inquiris, praeter illud, tibi plura utilia, & jucunda obvia fient. Profligatis omnium Doctorum, in quos incidi, circa Variolarum cauſſam opinionibus, cum mihi ex alienis commentariis ſapere datum non eſſet, meam vexare capi mentem, quò ipſa meditando profuſi morbi ſeminium è Naturae latebris erueret. Quid prodeſt, me ipſum alloquebar, aliorum refutaſſe ſententias, ubi aliquid, quod meum ſit, meo partum & elaboratum ingenio non afferam? Scientiae, quae praeterito, & nunc fluente ſaeculo improbis Philoſophorum laboribus ſic excreverunt, ut ad virilitatem perveniſſe videantur, nunc in cunis quoque vagirent, ſi Authores graviſſimi mimum duntaxat morem ſequuti fuiſſent. Excelſi ingenii opus non eſt alienae opera proſternere, cum ſudis in arte pulcherrimam molem poſſit deſtruere, ad quam condendam Artifex exigitur praeſtantiſſimus. Ut colonus in agro, maritus in uxore odit ſterilitatem, ita & ego mentem averſor, quae aliquo fetu ſuam non prodat foecunditatem. Dum Salomon ſic ſcribit — Bibe de tuis vaſis, & puteorum tuorum ſcaturitionibus, innuere vult nos debere aliquid proprio marte detegere, ut ingenito ſciendi deſiderio, quod aliorum labores explere non poterunt, noſtrâ faciamus ſatis induſtriâ. Hiſce motivis meus mea atrites vellicata Naturae receſſus penetrando omnem lapidem movit, ut inde, ſi fieri poſſit, latentem Variolarum cauſſam educeret, poſtquè plurium menſium haud interpellatam indaginem ſibi videre viſa eſt eam in terrae viſceribus delitiſcere. Sanè tunc iſte morbus à ſanguine menſtruo, inquinamento uteri, vitio in foeminarum ovis contracto, lacte, intemperantia, ſanguinis depuratione, aliiſque cauſſis à me, ut vidimus, impugnatis non proficiſcatur, prodibit ab aliquo principio exotico, in aerem immiſſo, quod

veto-

naturam temporibus in illo deſiderabatur. Hoc porrò principium extraneum atmoſpheræ admixtum, hac vel a corporibus cœleſtibus, vel a terra ſinu tranſmiſſum eſt. Nam a corporibus cœleſtibus, cum per validas rationes maligni Cœlorum influxus in ſecundo hujus libri capite fusè profligamus, Reliquum igitur eſt, ut Variolarum cauſſa è terræ penetralibus eliciatur. Plura ſane noxia corpora in interiori terra cogione degunt, quorum aliqua ab ignibus ſubterraneis, vel à ventorum inter ſe diſaccantium valido impetu in minimas diſſecta partes, ac preſſa ab aeris pondere ad ſuperiora feruntur, utrique, quem inſpiramus, admixta illum ad Variolarum geneſim diſponunt. Indicato loco, unde egreditur Variolarum cauſſa, illius indolem flatuens dico eam de natura acidi volatilis participare. In poſtrema tandem hujus libri parte Variolarum curationem propono variè pro diverſitate fermentationis ſanguinis inſtituendam. Nunc ſiquidem celebranda eſt ſanguinis miſſio, nunc hac evatuatio prorſus omittenda eſt. Modo augendus, modò minuendus eſt maſſa concutacin motus inteſtinus. Pori cutis ſemper patuli detinendi ſunt. Alvus adſtricta, qua ut quorumdam fert opinio, laxari non debet niſi poſt ſeptimam, ſubinitium quoque ſubduci poteſt. Quandoque cum dia l'aegoacea tutò præſcribantur. Imminentibus Variolæ, inquè illarum eruptione, ſudantes in cunis agitandi non ſunt. Quæſtio vertens inter duos graviſſimos Authores de excitanda vel non excitanda in hoc morbo ſeu dirimitur. Dolor, qui in Variolarum maceratione valde torquet agros peculiaribus ſedatur remediis. Cum munditiæ omnibus, ſed præcipue morbo correptis valde proficua ſit, hic damnatam video illorum ſententiam, qui docent in hac agrotatione, aliiſque lodices, & indaſia mutanda non eſſe. Pariter reprobatur cujuſdam Recentioris opinio negantis ante quartam hujuſmodi agros lecto committendos eſſe. Exſiccatis, deciſiſque Variolis varia remedia Coſmetica indicantur ad ſuperſtites maculas, & foveolas tollendas. Plura alia pro hujus morbi medella hunc librum volvens invenies, quæ in penſentia brevitatis, ut par eſt, ſtudens omitto. Hanc de Variolis diſſertationem ſocratitam rationem ſectatus ſic expono, ut ees ags, non narenas videatur. Mihi ſiquidem ſemper pro oculis Platonis opera habenti præſtantiſſimi Philoſophi mos arridet doctrinas Dialogis proponendi. Per diſputationem enim (ut

recte

rectè ſcribit Beroaldus noſter) interrogando, reſpondendo, dicendo, contradicendo veritas elicitur, & cunctu magis colliquaſcunt. Non me latet multas difficultates propoſitam Variolarum cauſam impetere, quarum præcipuas enervatas videbis. Cæteroquin ſi aliquis à me excogitatum hujus morbi principium ſolide impugnabit, non erubeſcam mutare ſententiam. Ut ego inſurrexi contra Doctores, qui futiles, & commentitias Variolarum cauſas adduxerunt, ita & ipſe, ſi alicubi offendo, & exorbito, avuo corrigi, inquè ſemitam revocari. Homo ſum, ac proinde errori obnoxius. Quamobrem nunquam, mea conſcius infirmitatis, averſabor qui mei Intellectus tenebras diſcutiat, immò totis ulnis, qui mecum ita ſe geret amplectar. In hoc pruriendi genere, ut rectè innuit ingeniorum Phœnix Joannes Picus Mirandula Comes, peculiare quoddam lucrum eſt vinci. Quandoquidem qui ſuccumbit beneficium à victore accipit, non injuriam, quippe qui per eum locupletior, & doctior evadit. Vale.

Cuba-

Cathalogus Autharum, quibus Mareſcotti utitur ad hoc Opus conficiendum.

A Riſtoteles.
Aſclepiades.
C. Aurelianus.
Archigenes.
Athæneus.
Actius.
D. Auguſtinus.
Avicenna.
Agathocles.
Alzaharavius.
Alcimus Avitus.
Avenzoar.
Agricula.
Aldrovandus.
Angenius.
Argoins.
Andriolus.
Auſtiones Mercurii hiſt.
Auctor Philoſophiæ Burgundiæ.
Acta Eruditorum Lipſiæ.

B Accius.
Baglivius.
Bartoli.
Bartholinus.
Beroſius.
Berangarius.
Boetius.
Bonhius.
A. Borellus.
R. Borellus.
Burnetius.
Braſavolus.
Boerhaavius.
H. Barbarus.

Bacco Verulamius.
R. Boyle.
Bucananus.
Bellinus.
Bertinus.
Bucacius.
Bellingerus.
Beverovicius.
Bonetus.

C Icero.
C. Celſus.
Columella.
Catullus.
Q. Curtius.
Claudianus.
P. Crinitus.
Cornarus.
Cardanus.
P. Caravenſis.
Cowperus.
V. Corter.
C. Columbus.
Comelinus.

M. D Onatus.
Diemerbroeck.
Dodoneus.
R. Duboli.
Davinus.
Delafont.

E Celeſiaſtes.
Eraſiſtratus.
Epicurus.

Ero-

Erodicus.
Euripides.
Etmullerus.
P. Æginetæ.
Etmullerus.
Ephemerides Germanæ.

FOreſtus.
Fracaſtorius.
M. Ficinus.
Favorinus Philoſophus.
Fernelius.
Fragoſus.
Jo. Freind.
Fantonus.

GAlenus.
A. Gellius.
Galilæus.
Gliſſonius.
Gaſtaldus.
M. de Grado.
Guarinonius.
Guglielminus.
Guainerius.

HIppocrates.
Herophilus.
D. Hieronymus.
Homerus.
Helmontius.
Horatius.
Heſiodus.
Haartus.
Harris.
Hildanus.
Heurnius.
Havers.

ISaias.
Juvenalis.
Joubonius.
Ingraſſias.
Junchen.

KEplerus.

LActantius.
Lucianus.
Lucretius.
Livius.
Langius.
Liſter.
P. Lamandinus.
Lancellotus.
Lanfrancus.
Lovver.
Lanciſius.
Leeuvvenhoek.
Lemery.
Lycurgus.
Mochus.
Meſue.
Menander.
Mouffetus.
Menethus.
A. Marcellinus.
Matthiolus.
Martialis.
Mercurialis.
Malpighius.
Mangetus.
Morgagnus.
J. Monil.
Malebranchius.
Malvaſia.
P. Manutius.
L. A. Muratori.
G. Montanarius.

NOnius.
Nicander.

OVidius.
Olaus magnus.
Ovvenus.

Pla-

P Lato.
Plinius.
Plutarchus.
Poſſidonius.
Pythagoras.
Picus Mirandulanus.
Pomponatius.
Piens.
Perſius.
Peyerus.
Paracelſus.
Plempius.
Purchotius.
Pitcaruus.
G. Piſo.
Pechlinus.

Q Uintilianus.

R Amatzinus.
Rhaſis.
Rhedi.
Rayus.
Rice alus.
Rolandinus.
Rhodius.
Ronſicus.
Riverius.

S Acra Scriptura.
Salomon.
Socrates.
Seneca.
Spartianus.
Schenckius.

Sennertus.
Servius.
Sydenham.
Sidobre.
Simplicius.
Sanctorius.
Sturmius.
C. Stefani.
F. Sacchi.
Strother.
Sybillina carmina.
Soſtanus.

T Riſmegiſtus.
Theophraſtus.
Thucydides.
Thuanus.
F. Torti.
L. Tozzius.
Truſton.
C. Tacitus.
Tachenius.

V Alſchmidius.
Villiſius.
Wierus.
Weinhart.
Virgilius Polyd.
Virgilius M.
Vitruvius.
Valeſius.
L. Viti.
Valliſnerius.

Z Acutus Luſitanus.

Fidis

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Clericus Regularis S. Pauli Barnabitarum, in Eccleſia Metropolitana S. Petri Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo, & S. R. I. Principe.

Die 20. Junii 1722.

Ad A. R. P. Carolum Antonium Margotti Sac. Theologiæ Magiſtrum Ord. Carmel. ut videat, & referat.

Fr. V. M. Mazzoleni Inquiſitor Generalis Bononiæ.

Die 23. Julii 1722.

De mandato Reverendiſſimi Patris Magiſt. Generalis Inquiſitoris Bononiæ attente perlegi hoc Opus Medicum De Variolis, *Authore Cæſare Mareſcotti Philoſopho, ac Medico; Cumque in eodem, nil advenerim, vel contra Fidem, nec contra bonos Mores, Ideo Typis demandari poſſe atteſtor.*

Fr. Carolus Antonius Margotti Sacr. Theolog. Magiſter, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Reviſor.

11. *Auguſti* 1722.

Attenta atteſtatione, ut ſuprà,

Imprimatur.

Fr. Vincentius Maria Mazzoleni Inquiſitor Generalis Bononiæ.

IN-

INTRODUCTIO AD DIALOGOS
DE VARIOLIS.

Marcellus, & Camillus.

M. Um otium ſæpiſſimè efflagitatum tandem nacti ſimus C. rurique degamus, age, quod nobis diù propoſitum fuit, nunc exequamur.

C. Tuam mentem M. percipio, ſeceſſus, aeris ſalubritas, longe, lateque patens proſpectus pulcherrimorum montium, ampl? planitiei, vaſtiſſimi maris, blandi avium concentus, amœniſſimi florea cujuſcumque plantæ viriditas & ut paucis multa complectar, omnia hic ad hilaritatem compoſita noſtrum animum mirificè recreantia eum ad meditandum diſponunt.

M. Meum votum es aſſequutus C. Quod tamen mirum eſſe non debet: qui inter ſe ſubinde miſcent animi curas, quid unuſquiſque velit, ex paucis colligunt verbis. Sanè cum Mundi partes ſimus, muniuſquè ſingulis partibus injunctum nos quoque tangat, conſpirandi videlicet in bonum totius, graviſſimorum Virorum inhærentes veſtigiis, aliquid promere tenemur, quod Reipublicæ proficuum ſit. – Non ſolum nobis nati ſumus (inquiunt Plato, & Cicero) ſed partem noſtri ſibi vindicat Patria, partem Parentes, partem Amici. Profectò Homo, quem Natura in Mundi Theatrum invexit, inſtructus eſt mente, quò omnia ibi edita perpendens intelligeret inter tot diverſa, miraque ratione operantia, ſibi uni inerti otio vacare non licere. Immò ut ipſe cæteras ſubſtantias in hac rerum univerſitate collocatas antecellit, ita ſciret ſe præſtantiora opera edere debere.

C. Tu rem acu tangis M. quid igitur à nobis præſtandum eſt, ut naturæ obtemperemus?

M. Cum

M. Cum Homo ſolus inter Animantia religione imbutus ſit, quæ duo complectitur juxta Triſmegiſtum, Lactantium, alioſque Philoſophos, cognitionem videlicet, & venerationem Dei, debet in ſuis operibus Dei prodere notitiam.

C. Qui hoc facere poſſit me edoce.

M. Hoc aſſequetur æmulando, prout exiguæ ejus vires patiuntur, Dei attributa, & præcipuè munificentiam.

C. Rem arduam proponis, qui poteſt Homo, immò vermis, & non Homo operando Spectatoribus Dei ſpeciem ingerere?

M. Hoc nobis Medicis factu arduum non eſt, nam (ut rectè innuit præfatus Cicero) nulla re Homines magis accedunt ad Deum, quam ſalutem Hominibus dando. Prædictiones ipſæ de futuro morbi eventu præſeferunt aliquam Divinitatis notam — Enunciate quæ futura ſunt: Ego dixi Dii eſtis. Quamobrem, ubi noſtro fungamur munere, in noſtris operibus aliquis Dei character elucebit.

C. Romani Oratoris ſententia, & Prophetæ voces procreatam in me ex tuo ſermone ſummam animi agitationem prorſus ſedant. Nunc percipio tantam eſſe artis noſtræ dignitatem, ut Medicus quodamodò Deus evadat, & minimè amplius miror Damophontem Corinthi, Zamolxem Thraciæ, Mithridatem Ponti, & Britniæ, Joſinam Scotorum Reges, Conſtantinum IV. Orientis Imperatorem, ipſumque Alexandrum Magnum Medicinam exercuiſſe.

M. Vide quæſo ne nimis Medicos extollas. Si iſti morbis mederentur, plurimus ſanè honos illis habendus eſſet, veruntamen, cum morbos, quorum curationem aggrediuntur, ut plurimùm non tollant, quî tantum illis jure tribuatur, non video. Dum Bononiæ morabamur nonne quælibet dies, quælibet hora (ut cum Seneca loquar) admonebat fragilitatis oblitos, & æterna meditantes cogebat reſpicere ad mortem? Funera in Civitate uberrimè ſcatente Medicis tam frequentia non eſſent, ubi illi morbos profligarent. Non me latet Hominem mortalem genitum eſſe, ac proinde ejus corpus morbis vexatum debere ſubinde Medicorum artem eludere. Verùm mors ubique ſemper obvia argumentum eſt vel futilitatis Medicinæ, vel incuriæ Medicorum. Hæc ars (ut innuit Latinus Hippocrates Cornelius Celſus)

con-

conjecturalis eſt. neque reſpondet ei plerumque non ſolum conjectura, ſed etiam experientia. Medicina ſanè plurimum obſcuritatis involuit, Cum enim circa effectus, qui à cauſſis diſparis indolis oriri poſſunt, verſetur, ægrè unde naſcantur morbi, dignoſcitur. Horum tamen originem ſæpe aſſequerentur Medici, ſi Philoſophiæ præceptis imbuti laborantem Naturam adirent, morbique cauſſam rimarentur, quam multoties profectò attingere poſſunt quod ſi ſecus eſſet, Sacra Scriptura ita nam non alloqueretur – Da locum Medico, & non diſcedat à te, quia opera illius ſunt neceſſaria. Et nos hortatur ad conſulendos Medicos, quia Altiſſimus (ut inquit Eccleſiaſtes) creavit de terra Medicinam, eſtque Medicina, juxta ſanam Quintiliani mentem, res ſacra, & Dei donum. Reliquum igitur eſt, ut Medici propriam artem non introſpicientes congrua morbis non adhibeant remedia. Credisne tot puerorum millia Variolarum morbo laborantium interitura eſſe, ſi Medici arti, quam profitentur, ſedulam navarent Operam? Camille nequaquam.

C. Me profectò tot puerorum præſertim nobilium mors valde torquet, video ſiquidem ob hanc magnum Reipublicæ periculum imminere, Cum enim in morientibus pueris futuri Senatores occumbant, quinam tractu temporis Rempublicam administrabunt? Quamobrem, cum nobis tempus impendendum ſit in liberalium artium ſtudio, te enixè rogo, & obteſtor, ut tot ſimus in inquirendis Variolarum origine, natura, & præſidiis.

M. Tuæ honeſtiſſimæ petitioni me obſequentem habebis. Rectè ſentiebant Stoici æquum eſſe, ut Religionem excipiat Patriæ charitas. Nam ut ait, quem paullo ante memoravi, M. Tullius – cum omnia ratione, animoquè luſtraveris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior quam ea, quæ in Republica eſt. Unicuique noſtrum cari ſunt Parentes, cari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium charitates Patria una complexa eſt, pro qua nullus bonus dubitat mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus, ut nos Deciorum, Curtii, Themiſtoclis, Codri, Menæcei, & innumerabilium docent exempla. Vel Matronæ Romanæ nobis magnæ in Patriam charitatis ſpecimen edidere nam cum captis Veiis ad delphicum Oraculum aurum mittendum

 eſſet

eſſet propter decimas, quas Camillus voverat, exhauſtumquè ærarium publicum nimis eſſet, ſua ornamenta in illud detulerunt magis de Patria, quam de ſe ipſis ſolicitæ. Idem quoquè præſtiterunt, ubi Urbs à Gallis redimenda fuit. Quod iteratum opus ſanè mirum fuit, cum fœminæ, quarum vis intelligendi curta eſt, ſoleant pulchritudinem, mundumquè muliebrem rebus omnibus præferre. Modò ſi vitâ, & opibus, prout res exigat, pro Patriæ incolumitate litandum eſt, tempus quoquè in ſtudiis eſt inſumendum, ut inde in Patriam aliqua proficiſcatur utilitas. Quò autem id, quod ſanctum eſt, melius peragatur, ab invicem adventante veſperi ſejuncti noſtrum ſubibimus cubiculum, ut ibi diù, & accuratè meditando circa propoſitam materiam aliquid detegamus, quod die craſtina in unum coeuntes in medium proferamus. Ea, quæ in primo congreſſu proponi debent, ut rectâ methodo incedamus ſunt hæc. Natura Variolarum, ſigna diagnoſtica, & prognoſtica earumdem, quæſtioquè inſtituenda eſt, utrum iſte morbus Veteribus compertus fuerit nec ne.

C. Cum Variolarum diſſertatio plura complectatur, laudo tuum conſilium proponendi ante id, quod poſtmodum debet eſſe noſtræ confabulationis argumentum. Ego cum parum calleam Medicinam, in qua te verſatiſſimum eſſe omnibus eſt exploratum, diſcipuli, tu Marcelle Magiſtri vicem geres.

M. Vir erudite te nimis extenuas, meque plus æquo extollis.

CONGRESSUS PRIMUS.

Camillus, & Marcellus.

C. CUm elapſa nocte parum in Lectione Authorum, qui de Variolis agunt, profecerim, viva voce indigeo, ut abſtruſa hujus morbi natura mihi evolvatur, & dilucidetur.

M. Antequam Variolarum indolem aperiam, ſcire aveo an Peripateticos emulantes deambulando, vel cum Socrate ſedendo velimus philoſophari.

C. Cum omnimodè à doloribus articularibus immunis non ſim,

ſum, qui integrum menſem inferiores artus plurimum vexarunt, opto alicubi ſedere, ne levis pedum dolor ob motum exacerbatus me minus idoneum ad hauriendam tuam doctrinam reddat.

M. Adeamus igitur illam proceriſſimam Platanum parum hinc diſſitam ad opacandum locum patulis diffuſam ramis, ſub qua conſidentes, ubi protrahatur ſermo, acrem Solis ad meridiem accedentis vim non experiemur.

C. Hoc breve iter, quod peregi, ut ad hanc cælibem arborem pervenirem, nonnihil mihi moleſtum fuit, modica tamen mora adauctum dolorem imminuet. Tu interim claudo aſſide, cujus aures erectæ ſunt ad percipiendam Variolarum naturam.

M. Variolæ ſunt Exanthemata in toto corpore Hominum, & præcipuè Puerorum ſpontè procreata cum febre, dolore, pruritu, & ichore purulento.

C. Hæc Variolarum deſcriptio obſcura eſt, præſertim cum græca vocabula complectatur, quæſo illius tenebras explicatione diſcute.

M. Hoc nomen græcum Exanthema ſignificat quamcunque effloreſcentiam præternaturalem in cute, ſive contingat ſine tumore, & ſolutione continui, ut fit in petechiis, maculis ſcorbuticis, lentiginibus &c. ſive fiat cum tuberculo, & ſolutione continui, ut accidit in Variolis, ſcabie, aliiſquè cutaneis affectibus. Variolæ ſi non ſemper, ut plurimùm tamen, in toto corpore manifeſtantur, & hoc nomine diſcriminantur à tumoribus, qui labore, ſudore, equitatione, aliiſque cauſſis procatarticis gignuntur. Febris antecedit, & comitatur Variolas, eſtquè de genere acutarum. Cum Variolæ ferè ſemper deſinant in abſceſſus cum purulenti ichoris eruptione, nil mirùm hoc morbo correptos prontu, & dolore vexari. Raró Juvenes, rarius ſenes, ſæpiſſimè pueros Variolæ invadunt.

Dictum eſt Variolas cum febre fieri, quia febris ferè ſemper ſolet præcedere, & comitari Variolas. Non eſt tamen impoſſibile Variolas ſine febre obſervari, immò quandoque ſine febre viſæ ſunt. Iſti tamen caſus rariſſimi ſunt, paucique occulati teſtes illarum poſſunt meminiſſe. Quamvis Marcellus Donatus Variolas ſine febris conſortio nullo modo fieri poſſe opinaretur; adhuc tamen ſe in errore verſari hac hiſtoria medica ingenuè

 fate-

ſtetur – Cum diebus elapſis Nobilem Juvenem Antonium Facinum inviſerem, eique, ut à morbo quodam, quo laborabat, immunis evaderet, pharmaca propinaſſem, & venam ſecari juſſiſſem, poſt decimam diem à purgatione, apparuere Variolarum veſtigia, quæ & ſi conſpicua jam eſſent, nihilominus eas eſſe, aſſerere non audebam, cum nullum indicium febris viderem, apparuere deinceps manifeſtiſſimæ, paucæ tamen numero, à quibus ſanatus, non multo poſt ſupervenit alui fluxus. Philippus Ingraſſias, & ipſe teſtatur ſe cum admiratione leves, paucaſque Variolas ſine febre procreatas vidiſſe. Ego quoque duos pueros ſine febre Variolis correptos inſpexi, quorum alterum tres dies ſummam inquietudinem paſſum, quarta die, poſt venæ ſectionem die tertia inſtitutam, quinquaginta circiter Variolæ ferè per totum Corpus diſperſæ invaſerunt, quæ uſque ad octavam diem auctæ, ſuperveniente Diarrhæa, retroceſſerunt, ægerque ab illa poſt triduum liberatus, diù fuit valetudinarius. Alter paucis Variolis vexatus, ubi ab illis evaſit, Diarrheam contraxit, quæ in Dyſenteriam immutata eum in vitæ diſcrimen adduxit.

C. Claré percepta Variolarum definitione progredior ad inquirendum ex te, quænam ſint hujus imminentis morbi notæ?

M. Signa indicantia Hominem quam primum Variolis corripi debere ſunt Cephalalgia cum ſenſu pulſationis in fronte, & temporibus, ſomnolentia gravis, deliria, tremores, convulſiones, ſternutatio frequens, ſpirandi difficultas, punctorius ſenſus in toto Corpore, & præcipuè in naribus, magnus dorſi dolor, oculorum tumor, & illacrymatio. Tradit Baglivius motus convulſivos apparentes in puerorum, qui nondum Variolas paſſi ſint, febeſſus, die ſequenti Variolarum eruptionem denotare, hocquè innoteſcere infallibili Doctoris Sydenham obſervatione. Ego ſanè ſæpiſſimè hoc vidi contingere graſſante Variolarum Epidemia.

C. Adſunt ne ſigna, ex quibus colligatur ægrum moriturum eſſe, vel è contra à morbo liberatum iri?

M. Utiquè. Variolæ ſalutares citò, & facilè erumpunt, ſunt valdè rubræ, brevi ad maturitatem perveniunt, febriſquè poſt illarum eruptionem vel deſinit, vel imminuitur. Ptyaliſmus in

Va-

in Variolis eſt bonæ indolis nota: nullum ſiquidem uberrimè ſputantem mortuum viderunt Baglivius, & Valſchmidius. Plurimi facienda eſt in Variolis vox libera, & facilis reſpiratio, dum hæc ſigna adſunt, ſalva res eſt, indicant enim materiam procul à nobilibus, & præſertim vitalibus partibus expulſam eſſe. Si verò Variolæ tardè erumpant, lividæ ſint, poſt eruptionem evaneſcant, partium tumor remittatur, febris non minuatur, augeatur reſpirandi difficultas, deglutitio impediatur, ſuperveniat Diarrhæa, vel Dyſenteria, urina ſit rubra, & ſanguinea, mortem prædicito. Illi, quibus Variolæ vitam adimunt, ut plurimùm ſuffocantur à grandeſcentibus Variolis pharynge, ac larynge percluſis; vel Syncope moriuntur, aut præfatis alvi excretionibus occumbunt.

C. Suntne Variolæ exterioribus duntaxat corporis partibus alligatæ?

M. Variolæ non ſolum in extima corporis ſuperficie procreantur, verum etiam interiores partes non rarò occupant. Variolæ interius procreatæ quandoquè gignunt Pleuritidem Phthiſim, ſolentquè Abdominis viſcera exulcerare, & Hydropem inferre. Dum oculos invadunt, interdum canthorum caruncolas abſumunt, ſæpè Ophthalmiam contumacem, fiſtulam lacrymalem, viſus obtenebrationem, & nonnunquam cæcitatem pariunt. Nares, & aures occupantes aliquando horum ſenſuum organa adeò vitiant, ut olfaciendi, vel audiendi vires aboleantur. Ibi vidi Variolas in unum confluentes magnam cruſtam efformaſſe larvæ inſtar totam faciem obtegentem, qua deciſa, profundæ, & deformes cicatrices remanſerunt, quæ nulla arte potuerunt obliterari, immò vèl minimùm imminui.

C. Audivi ſuperius à te Variolas ſub genere morborum acutorum collocandas eſſe, cum autem illud ſub ſe plures ſpecies complectatur (illi namque ſubiiciuntur morbi peracuti, acuti ſimpliciter, & acuti ex decidentia) ſub qua nam claſſe Variolæ ponendæ ſunt?

M. Spectant Variolæ ad claſſem morborum ſimpliciter acutorum: habent ſiquidem pro termino ut plurimùm decimam, quartam diem, erumpunt tertia, vel quarta febris die, augentur uſque ad ſeptimam, quandoque nonam, & undecimam,

 poſt-

poſtmodum ſuppurantur, & exſiccantur.

C. Quid Hippocrates, & Galenus de Variolis ſcripſerunt?

M. De Variolis nulla ſit mentio ab Hippocrate, Galeno, aliiſque Græcis Authoribus, Arabes primi illarum meminerunt. Quapropter cum Hieronymo Mercuriali, Marcello Donato, Martino Liſter, Antonio Sidobre, Johanne Freind, aliiſque, cenſeo Variolas eſſe morbum noviter procreatum. Sanè, ut veteres accuratè nobis ob oculos mentis alios morbos poſuerunt, ita Variolarum penes ipſos exactam deſcriptionem, ſi tunc temporis viguiſſent, legeremus, præſertim cum Variolæ vehementium ſymptomatum comitatu incedant, habeant proprietates ab aliis morbis longè diverſas, & ſæpe ægris vitam eripiant. Idcircò Parentes ſemper de filiorum vita ſolliciti ſunt, donec hunc morbum evaſerint.

C. Timeo ne perfunctoriè veterum libros legeris, nam Theophraſtus, Hippocrates, & Celſus ſæpiſſimè in ſuis operibus papularum meminerunt, hæ porrò papulæ ſunt Variolæ, quas modo inquirimus.

M. Nequeo non ridere: in Medicina tyro graviſſimos Authores ſcrutatus eſt, quibus me aggreditur. Tuam larvatam in rebus medicis infantiam vèl in ipſo exordio ſermo prodit, nã Virtus, vigente emergendi occaſione latere nequit, teque intus, & in cute noſco: ad rem redeo. Theophraſtus, Hippocrates, Celſus, aliique veteres utique papulas ſuis incluſere ſcriptis, verum iſti parui cutis tumores, vel à cauſſis externis fiebant, quales ſunt puſtulæ à Theophraſto commemoratæ in libde ſudore ex laboribus, & ſuppreſſa diaphoreſi ortum trahentes: vel eruptiones cutaneæ Celſi à frigore, æſtu, vel medicamentis procreatæ: vel ſi ab internis cauſſis proficiſcuntur, ut ſunt exanthemata ab Hippocrate in variis Epidemiorum libris indicata, illorum nomine Variolæ exprimi nequeunt, cum Hippocratis puſtulæ, vel pulicum morſus referrent, vel in tuberculos non putreſcentes elevarentur. Huic opinioni favens Marcellus Donatus ſic ſcribit – Si Galeni tempore, qui diligentiſſimus obſervator fuit, viguiſſent, longè utique diſtinctius illarum Naturam literis mandaſſet, pluresque ſi non omnes differentias, quas vèl Mulierculæ noſtris temporibus norunt, adno-

taſ-

taſſet, curamquè deinceps, & propriam ejus methodum minimè omiſiſſet, qua procul dubio diſtincta, & peculiari indigere quotidiano experimento pernovimus. Cur enim Hippocrates in puerilium morborum albo affectum nullo minus familiarem pueris, non recenſuit? Cur Galenus vir alioquin copioſiſſimus in libro, qui Medicus inſcribitur, ubi cutis affectus omnes recenſet, illarum non meminiſſet?

Arduum profectò eſt hanc opinionem ab Hominum mentibus eradicare omnia videlicet in veterum libris contineri, quorum Authoribus nonnulli tantum tribuunt, ut eos Deorum inſigniant attributis. Macrobius de Hippocrate verba faciens auſus eſt ſcribere illum Deorum ad inſtar nec falli, nec fallere potuiſſe. Quæſo Author iſte nobis Medicis de Hippocratis libris judicium terendum relinquat. Simplicius audiens neſcio quem dicentem Ariſtotelem in quibuſdam ad naturam ſpectantibus erraviſſe, ad illum converſus vultu planè horrifico, & gorgoneum caput præferente, ſtentorea voce clamavit – Vel quod ii dicis in Stagiritæ libris non continetur, vel natura ipſa mutata eſt. Tam altè de Magiſtro ſentiebat diſcipulus! Ubi famigeratiſſimus Malpighius noſter plurium viſcerum ſtructuram improbis detectam laboribus publici juris fecit, ſtatim inſurrexere Ariſtarchi, qui Excelſo Viro plagiarii notam inurentes illum omnia ex veterum libris ſurripuiſſe tradiderunt. Alii Malpighium talia proponentem ſomnia, mentiſquè ludibria in Mundum invehere ſenſerunt. Comperto utriuſque claſſis Hominum, per librorum Veterum, & naturæ accuratam diſcuſſionem, errore, illi ultimum moventes lapidem, ſedulo naturæ indagatori vitio vertebant eum occupari in rerum inquiſitione Medicinæ nihil inſervientium. Ab iſtorum mente excidit liber à Galeno editus, qui ſic inſcribitur – Si quis eſt optimus Medicus, eundem eſſe philoſophum. Quæ celeberrimi Viri Malpighius, Valliſnerius, Morgagnus, aliiquè nos docent naturæ librum evolventes, ſi non faciunt Medicum, aptiorem tamen Medicinæ faciunt, ut cum Celſo loquar. Dantur plures, qui Canes emulantes ignotos ſemper adlatrantes, damnant, & oderunt, quæ ipſis ſunt incomperta. Hoc idem innuit Quintilianus hiſce verbis – Male dicit ineruditus apertius, & ſæpius. Truſton in hanc rem ſic ſcribit – Nuper inventorum uſum neſcium inge-

 nia

ma vulgaria, barbara negligunt, carpunt invidè, tumida verò, atque inflata, qualia plerumque Oratorum ſunt, & qui oſtentare quadam eruditiuncula ſemidocti, & ſtulto populo ſe, ſuaque venditant, rident, & aſpernantur.

C. Fieri nequit Variolas morbum novum eſſe, nullus ſiquidem morbus recens datur, cum omnes morbi ſemper extiterint: Nihil enim ſub Sole novum eſt, nihil dictum, quod prius dictum non fuerit. Dum conſideramus Homines eadem natura præditi, ſub eodem Cœlo nati, ſub iiſdem educati ſyderibus, ab iiſdem ſemper morbis eos vexatos fuiſſe cenſendum eſt. Aliqui morbi novi videntur, quia Homines perfunctoriè Naturæ à recta ſemita aberrationes obſervantes, illorum exactam diſcuſſionem non inſtituerunt. Ubi nos ad eam ætatem pervenimus, quæ Hominum mores expendit, nobis videtur Mundus novis vitiis obnoxius, quia, quæ antea ob incuriam nos latuerunt, tunc intuemur. Quod valet de moribus, idem quoquè militat de morbis.

M. Novi morbi mehercule in hac Mundi ſcena ſubinde caput extulerunt, eidemquè ſe oſtendit in hiſtoriarum monumentis, qui hoc inficiatur. Omnes morbos, qui hodie mortale genus affligunt, ad aliquem eorum, qui à Veteribus deſcripti ſunt, reducere conatur (utor illius verbo) Balduinus Ronſleus, qui vixit in locis Mari Baltico vicinis, in quibus magnoperè viget Scorbutus, ibiquè Medicinam exercuit. Verum cum iſte Doctor in hoc præſtando conatum exerceat, ſignum eſt illum veritati vim inferre. Langius, qui in ſuis Miſcellaneis ſcribit nullos hodie oriri morbos, qui non fuerint prius, aut quorum veſtigia antea aliqua ex parte non apparuerint, id parum firmis probat rationibus. Sanè, ut quidam morbi penitus obliterati ſunt, ita novi emerſerunt. Ille morbus, quem Gemurſam appellarunt Priſci inter pedum digitos enaſcens jam dudùm extinctus eſt, ut legere eſt penes Plinium.

Natura in operationibus edendis nunc eſt valde ſolicita, nunc eſt ſegnis admodùm, & lenta. quorum utrumque perſpicuum eſt in Aloe Planta omnibus notiſſima, cum diutiſſimè ſine caule maneat (quod nonnulli ad centeſimum annum protrahunt) elapſo longiſſimo tempore tandem magno ſtrepitu ferè tota, gracileſcentibus foliis, in truncum convertitur tanto lon-

longitudinis, ut ad triginta circiter palmorum altitudinem deveniat. Hujus trunci, qui in ſummitate floribus donatur, diameter femoris æquat craſſitiem. Quod in hac planta tunc temporis majorem parit admirationem, eſt breviſſimum portentoſi incrementi ſpatium, cum intra quatuor, vel quinque dies illud abſolvatur, ſitquè oculis perceptibile. Hæc (verbis tantum per me mutatis) tradit Petrus Borellus in ſuis centuriis. Anno 1718. res paullo aliter ſucceſſit in viridario D. Joannis Baptiſtæ Benacii Senatus Bononienſis Conſultoris poſito in agro quinque milliaribus Bononia diſsito. Ibi enim, præter alia ſimplicia, dabatur Aloe quadraginta annos ſine floribus in vaſe fictili culta, quæ ineunte vere, tabeſcentibus foliis quinque pedes longis, cæpit craſſum caulem emittere, qui bimeſtri ſpatio tredecim pedum altitudinem, & unciarum novem adeptus, perplures ramos circa verticem inſueto ordine poſitos, & flavis floribus monopetalis in extremo multifidis onuſtos protulit, his deciſis ſeminales capſulæ una cum Planta interiere. Non eſt tamen perpetuus naturæ mos in quibuſcunque Aloe ſpeciebus differre ad longiſſimum tempus florum procreationem. Capucini degentes in colle prope Bononiam habent in ſuis viridariis Aloe, quæ ferè quot annis florem edit, vocaturquè Aloe Africana humilis folio ex albo, & viridi variegato Comelini. Hoc anno ad noſtrum celebrem Botanicum Joſeph Monti Piſis delatæ ſunt duæ Aloe ſpecies, quarum altera hac æſtate floruit, altera in præſentia in ejuſdem horto floribus ditata conſpicitur.

Cum inciderit mentio Joannis Baptiſtæ Benacij, ego hic parumper in mei Civis laudes excurram, illiuſquè nomen immortalitate digniſſimum extingui mortali cum corpore non ſinam (ſi modo is ego ſim, qui tantum præſtare poſſim.) Fuit vir ille tam inſigni prædıtus eruditione, ut eum ſæpiſſimè plures horas de Jure Civili, & Canonico, de Hiſtoria, Poeſi, Politica, utraque Philoſophiâ, Morali videlicet, & Naturali, ac ut paucis me expediam, de omni diſciplinarum genere egregiè diſſerentem omnes præſertim liberalium Artium Profeſſores admirarentur. Papinianus à Spartiano Juris aſylum, & Doctrinæ Legalis Theſaurus nuncupatur. Ego mei Juriſtæ mentem Minervæ emporium appello, ex quo ſciendi libido, quamcumque Do-

ctri-

ctrinam haurire poterat. Tam mira eruditio proſluebat à tenaciſſima memoria, qua cum Hortenſio, Theodecte, Cinea, Mithridate, Seneca, Julio Cæſare, Joanne Pico Mirandulano, Antonio Maglabechio, & paucis aliis componendus erat, quæ nihil eorum quæ legerat, viderat, audiverat, ac meditatus fuerat, ab ejus animo patiebatur excidere. Maxima ſuavitas morum omnium animos ad ſe alliciebat. Benacti amicitia, cum ſolida eſſet, ad defunctorum Amicorum affines progreſſa nihil, quod illis proficuum eſſe poſſet, intentatum relinquebat. Dum operam in patrocinandis cauſis collocabat, non congerendarum opum amor, quas ſanè ſemper flocci fecit, ſed officii præſtandi omnibus ingenita cupiditas illum ad id impellebat. Religio ſic in ejus pectore vigebat, & ad exteriora diffundebatur, ut quicunque eum in Templo pluribus incruentis Sacrificiis ſingulis diebus aſtantem aſpiceret, vel ſi moribus perditus eſſet, ad Dei venerationem excitaretur: ejus ſanè pietas non adumbrata leviter, ſed expreſſa moribus, dictis, ſcriptiſquè, plures ad veræ virtutis amorem traduxit. Tam fortiter tulit poſtremæ ægritudinis dolores atrociſſimos, ut mihi novum Zenonem Eleatem, Anaxarchum Democritium, ac Poſſidonium in Joanne Baptiſta viderer intueri. Sed redeat unde diſceſſit Oratio. Nonnulla Animalia, ut Urſæ, uno tantum menſe utero gerunt, Canes geſtare ſolent utero tribus menſibus, Sues quatuor, Oves, & Capræ quinque, Cervæ, & Damæ octo, Equæ, & Aſinæ uno anno, Elephantes duobus. Triennium exigitur à Bobus, ut ad ſuæ magnitudinis terminum accedant, quem non attingunt Homines niſi ſpatio vigintiquatuor annorum, Elephantes verò triginta. Tota fungorum fabrica, & incrementum intra unam, vel alteram horam (ut dici ſolet) abſolvitur, quod non fit in quercu niſi integro ſæculi fluxu. Quædam Animalia centum annos, & ultra vivunt, ut Elephantes, Vultures, Corvi, Pſittaci, aliaque volatilia carnivora, & rapacia: Alia verò animantia unum tantum diem, ut de Ephemere docet Ariſtoteles, refertquè Cicero in quæſtionibus Tuſculanis: Nonnulla Animalia longiſſimo tempore dormiunt, ut glires, idcircò de illis ſcripſit Poeta.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Alia

Alia verò vix ſomno corripiuntur, ut Equi. Alia diutiſſimè ſine cibo vivunt. Franciſcus Rhedi refert ad ſe ab Africa lacertum majorem tranſmiſſum fuiſſe, qui octo menſes vixit ſine cibo. Diuturna pariter à cibo abſtinentia in Teſtudinibus obſervatur, idem contingit in Viperis frigoris impatientibus, quæ hyeme veluti ſemimortuæ degunt in terræ viſceribus, & nunquam in illius ſuperficie videntur, niſi ubi verno tempore aeris rigor evanuit. Cochleæ terreſtres duro cortice teſtæ foramen obducunt, adeout nil cibi, potuſquè admittant, ſicque tota hyeme degunt. Hujuſmodi anni tempore ex Iſtri fundo hirundines plurimæ in globi ſpeciem agglutinatæ retibus extrahuntur, ſuntquè adeo torpidæ, ut vitam ducere non videantur. Pater Bartoli in libro de glacie tradit ad Mare Balticum quotannis multa harum avicularum millia convenire, quæ artiſſimè in globum coeuntes aqua marina longe ponderoſiorem, ad Maris fundum præcipites feruntur. Nos verò paucos dies ſine cibo vivere poſſumus. Homines ſanè benè valentes ægrè decimam quartam diem tranſiliunt, quin poſt octavam, bulimo corripiuntur, quo, cum non amplius fame vexentur, à cibo abſtinent, cibumquè per vim inditum non conficiunt, immò nec retinent. Quapropter, ut natura magnopere varia eſt in præfatorum viventium operationibus edendis, idem quoque contingit in morbis, quorum quoſdam citiſſime procreat, aliorum verò geneſim ad plurima ſæcula protrahit. Peſtes ſæpe ita disparis indolis procreantur, ut rarò cognitis, vulgaribusquè remediis profligari poſſint, ſed nova à Rationalibus Medicis excogitanda ſint præſidia pro diverſis harum peſtium cauſſis, magno ſanè argumento aliquid novi in hujuſmodi morbis deliteſcere. Meam opinionem mirificè confirmat Fracaſtorius hiſce carminibus in ſuo doctiſſimo de Syphilide tractatu.

Principia quaque in terris, quaque in æthere alto
Atque mari magno, Natura educit in auras
Cuncta quidem nec ſorte ſua, nec legibus iiſdem
Proveniunt. ſed enim, quorum primordia conſtant
E paucis, crebro, & paſſim pars magna creantur.
Rariùs aſt alia apparent, & non niſi certis
Temporibuſve, locisve, quibus violentior ortus,
Et longe ſita principia, ac nonnulla priuſquam

Erum-

Erumpunt tenebris, & opaco carcere miſſa,
Mille trahunt annos, ſpatioſaque Sæcula poſcunt,
Tanta vis coeunt genitalia ſemina in unum?
Ergo & morborum, quoniam non omnibus una
Naſcendi eſt ratio, faciles pars maxima viſa eſt,
Et faciles ortus habet, & primordia præſto.
Rarius emergunt alii, & poſt, tempore longo,
Difficiles cauſas, & inextricabile fatum,
Et ſero potuere altas ſuperare tenebras.
Sic Elephas ſater Auſoniis incognitus oris,
Sic Lichen latuere diu, quibus Accola Nili
Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.
De genere hoc eſt dira lues, quæ nuper in auras
Exiit, & tandem ſe ſe caligine ab atra
Exemit, duraſque ortus, & vincula rupit.

Plutarchus in lib. 8. Simpoſiorum in hanc rem ſic ſcribit — Nil admirabimur ſi quid morborum acciderit, quod prius non erat, & rurſum defecerit, cauſſa enim eſt corporum Naturalium, & aliam ſuſcipiens temperaturam. Cornelius Celſus in principio lib. 1. de re medica monet novà ſæpe incidere morborum genera, in quibus nihil adhuc uſus oſtenderit, & ideo neceſſarium ſit animadvertere unde ea cœperint: ſine quo nemo mortalium reperire poſſit, cur hoc quam illo potius utatur.

C. Tibi plurimum debeo, quia evulſiſti è mea mente hanc opinionem, quæ illi ſanè tenaciter adhæſerat: omnes nimirùm morbos in Veterum libris contineri. Summa autem libidine teneor ſciendi quinam ſint illi morbi novi, quamquè ſortiantur indolem.

M. Morbi novi ſunt Lichen, ſeu Impetigo, Lues Venerea, Rachitis, Sternutatio Gregorii Magni temporibus epidemicè graſſata, Sudor Anglicus, Plica Polonica, Morbus Hungaricus, Veruicinus, Scorbutus, Hydrophobia, Elephantiaſis, febris Hectica, febres Algidæ, aliquè morbi, quos omnes ſigillatim, ut te voti compotem reddam, expendam.

De IMPETIGINE ſic loquitur Plinius lib. 26. Hiſtoriæ naturæ

turæ cap. 1. Senſit, & facies Hominum novos, omniquè Ævo priore incognitos non Italiæ modo, verum etiam univerſæ penè Europæ morbos, tunc quoque neque totâ Italia, neque per Illiricum, Galliaſvè, aut Hiſpanias magnopere vagatos, aut alibi quam Romæ, circaque, ſine dolore quidem illos, ſed tanta ſeditate, ut quæcumque mors præferenda eſſet. Graviſſimum ex haſce Lichenas appellaverunt græco nomine, quem Latini Medici Impetiginem vocant. Iſte morbus, qui irrepſit primum ſub Tiberii Claudii Cæſaris imperio, valdè contagioſus erat. Oſculo, contactuquè propagatus non humilem, aut mediam plebem, ſed Proceres ſolum corripiebat.

Præfatus morbus, qui adhuc viget, & Homines modò cujuſcumque conditionis invadit, eſt curatu difficilimus, ac nunquam Medicus remediis topicis fit voti compos, ubi prius ſalia in maſſa ſanguinea luxuriantia non emendaverit. Idcircò Vere, præmiſſa, blando leniente, primarum viarum expiatione, præſcribit ſuccos depuratos lapatii, fumariæ, ſcabioſæ, cichoreæ ſilveſtris, lupulorum &c. Poſtmodùm ad diaphoretica progreditur, deinde tempore æſtivo ad aquas thermales, præcipuè Villenſem, & Nocerianam. Ubi hæc remedia proficua non ſint, ad Viperas confugit. Exterius laborantibus partibus admovet ſalivam contuſam ſalivæ Hominis jejuni admixtam, vel eas fovet calidis decoctionibus, lapatii, nicotianæ, florum ſambuci, aliorumquè ſimplicium alkalicis moleculis ſcatentium. Interim ægri vario motu corporis partes exercent, in cibo ab acidis, coctu difficilimis, & nimis glutinoſis cavent, vino infundunt ſimplicia vi donata corrigendi ſanguinis acredinem, evitant animi pathemata, & potiſſimùm melancholiam, deguntque in aere ſubtili, qualis eſt montanus, puriori nitro ditatus.

LUES VENEREA procreata eſt anno 1494. Tunc enim Carolus Octavus Gallorum Rex in bellum pronus magno comparato exercitu, illoquè Italiæ parte ſubacta, Ducatu videlicet Mediolanenſi, & tota Etruria, Romam invaſit, quæ non auſa illius victorias remorari, recluſis foribus intra ſuum ſinum Gallorum Regem recepit, quem & ſi Romani Proceres hortarentur ad detra-

trudendum è Petri Sede Alexandrum Sextum malis artibus (ut ajebant) in hujuſmodi locum intruſum, tamen ille tantum facinus patrare renuit: initoquè cum Pontifice colloquio, poſt multos honores ultro, citroque datos, & acceptos, ab eo novo Regio titulo condecoratus eſt, obtenta Regni Neapolitani, ut à Juriſtis dicitur, inveſtitura. Quamobrem fortiori jure Neapolis obſidionem Carolus aggreſſus eſt. Quo tempore obſeſſi, ob annonæ penuriam, gentem bello imparem, in qua ſcorta erant formoſiſſima, è Civitate expulerunt. Meretricum precibus ſalaces Galli moti (preces namque ab ore venuſtiſſimarum mulierum prodeuntes vim habent, vèl hoſtium corda faciliuſmè ad miſerationem flectendi) ea humaniſſimè excepere caſtris, habitoquè ſæpiſſimè cum illis congreſſu, morbus ſæviſſimus natus eſt, qui os, oculos, nares, palatum, cutim, carnem, oſſa, ligamenta, & viſcera omnia infeſtavit. De hoc morbo ſic loquitur Braſavolus quibuſdam tantum verbis mutatis, & indicata ſemita à Clariſſimis Viris Couupero, & Morgagno detecta, per quam in utroque ſexu ad inguina præfati mali cauſſa delata eſt — In Gallorum caſtris ſcortum aderat nobiliſſimum, & pulcherrimum in Uteri ore putrefactum gerens abſceſſum, viri, qui cum illo coibant, dum membra virilia per uteri collum confricabant, ob loci putredinem, in mentulis pravam quamdam affectionem contrahebant, quæ exulcerabantur, & per penem moliſſimum membrum prava quædam qualitas ope lymphaticorum, quibus penis donatur, ad inguina aſcendens, ibi bubones excitabat, à quibus poſtea morbus ad alias corporis partes propagabatur. Hæc lues primo unum infecit Hominem, poſtea duos, tres, & centum, quia illud ſcortum erat publica meretrix, & pulcherrima, & ut procax eſt natura humana in coitu, multæ mulieres cum illis viciatis Hominibus coeuntes lue hac infectæ ſunt, quam deinde aliis viris ſunt impertitæ, ut denique lues per totam Italiam ſparſa ſit, & per Galliam, ac brevi per univerſam Europam. Audivi, inquit Braſavolus, nunc eſſe ſummo vigore in Aſia, & jam dudum in Africa pullulare. Varia huic morbo nomina indita ſunt. A non nullis dicitur morbus Neapolitanus, cum in Neapolis obſidione genitus ſit. Aliis placuit illum morbum Italicum appellare, quia Homines in Italia primùm illo infecti ſunt. A quibuſdam morbus

bus Indicus vocatur opinantibus ab India ad noſtras regiones eum translatum fuiſſe. paſſim verò morbus Gallicus nuncupatur, quia in Gallorum exercitu originem traxit. Omnes nationes, quibus illius ortus adſcribitur, nituntur probroſa hujus morbi natalia à ſe removere. Contra verò, ea, quæ ſplendorem afferunt, omnes ad ſe trahunt, ut videre eſt in Homero, quem Colophonii, Chii, Salaminii, Smyrnii, Cyprii, aliæquè nationes in proprio ſinu genitum, & educatum eſſe gloriantur. Ego nemini injuriis præfatum malum Luem Veneream appello. Signa contractæ luis hiſce elegantiſſimis carminibus complectitur famigeratiſſimus Fracaſtorius.

In primis mirum illud erat, quod labe recepta
Sæpe tamen quater ipſa ſuum compleverat orbem
Luna prius, quam ſigna ſatis manifeſta darentur,
Scilicet extemplo non ſeſe prodit aperte;
Ut ſemel eſt excepta intus, ſed tempore certo
Delitet, & ſenſim vires per pabula captat.
Interea tamen inſolito torpore gravati,
Sponteque languentes animi, & munera obibant
Ægrius, & toto ſegnes ſe corpore agebant,
Ille etiam ſuus ex oculis vigor, & ſuus ore
Dejectus color haud læta de fronte cadebat.
Paullatim caries fœdis enata pudendis
Hinc atque hinc invicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifeſta magis vitii ſe prodere ſigna,
Nam ſimul ac pura fugiens lux alma diei
Ceſſerat, & noctis triſtes induxerat umbras,
Innatuſque calor noctè petere intima ſuetus
Liquerat extremum corpus, nec membra fovebat
Obſita mole pigra humorum: tum vellier artus
Brachia, ſcapulæquè, gravi ſuræque dolore.
Quippe, ubi per cunctas ierunt contagia venas,
Humoreſque ipſos, & nutrimenta futura
Polluerant, natura malum ſecernere ſueta
Infectum partem pellebat corpore ab omni
Exterius; verum craſſa quia corpore tarda
Hæc erat, & lentore tenax, multa inter eundum

He-

Hærebat membris exanguibus, atque lacertis,
Inde graves dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leviore, magiſque acumine nata
Summa cutis pulſa, & membrorum extrema petebat,
Protinus informes totum per Corpus achores
Rumpebant, faciemquè horrendam, & pectora fœdè
Turpabant. Species morbi nova, puſtula ſummæ
Glandis ad effigiem, & pituitâ marcida pingui
Tempore, quæ multo non poſt adaperta dehiſcens
Mucoſa multum ſanie, taboque fluebat.
Quin etiam erodens alte, & ſe funditus abdens
Corpora paſcebat miſere, nam ſæpius ipſi
Carne ſua exutos artus, ſqualentiaquè oſſa
Vidimus, & fœdo roſa ora dehiſcere hiatu,
Ora, atque etiam exiles reddentia guttura voces.
Ut ſæpe, aut Ceraſis, aut Phyllidis arbore triſti
Vidiſti pinguem ex udis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum dureſcere gummi.
Haud ſecus, hac ſub labe, ſolet per corpora mucor
Diffluere: hinc demum in turpem concreſcere callum.
Unde aliquis ver ætatis, pulchramque juventam
Suſpirans, & membra oculis deformia torvis
Proſpiciens, fœdoſquè artus, turgentiaque ora,
Sæpe Deos, ſæpe Aſtra miſer crudelia dixit.
Interea dulces ſomnos, noctiſquè ſoporem
Omnia per terras Animalia feſſa trahebant.
Illis nulla quies aderat, ſopor omnis in auras
Fugerat: his oriens ſurgens Aurora rubebat
His inimica dies, inimicaquè noctis imago,
Nulla Ceres illis, Bacchi non illa juvabant
Munera, non dulces epulæ, non copia rerum,
Non urbes, non rura, opes, non ulla voluptas
Quamvis ſæpè amnes nitidos, jucundaque Tempe,
Et placidas ſummis quæſiſſent montibus auras.
Diis etiam ſparſæquè preces, incenſaque templis
Tura, & divitibus decorata altaria donis
Dii nullas audire preces, doniſquè moveri.

C. Au-

C. Audivi morbum hunc in noſtras Regiones à Criſtophoro Columbo ab Indis Occidentalibus redeunte advectum eſſe. Quod ſi ita eſt, erit novus hic, alibi vero vetus.

M. Columbus ſanè in re nautica verſatiſſimus, navibus armamentariis, & annonâ inſtructis, validis utcunque rationibus, à Catholiæ Regibus impetratis, quò novum Mundum detegeret, primus ad Indiam appulit Occidentalem: ibique invenit innumeras Inſulas, Homines ſilveſtres, argenti, aurique theſauros, ac ingentem margaritarum numerum. Verum, quia

> ——————— *mortalibus, ex quo*
> *Tellus capta coli, nunquam ſincera bonorum*
> *Sors ulli conceſſa viro* ————

(proſpera namque ſemper in hac luctuoſa ſede miſcentur adverſis) rediens ab Indis Columbus triremes Hiſpaniam advexit auro, gemmiſque onuſtas, in quibus reperiebantur milites Lue Venerea infecti, quæ mitis in India, ubi noſtrum Cœlum experta fuit, ſummam contraxit ſævitiam.

C. Quotuplici ratione Morbus Gallicus Homines invadit?

M. Lues Venerea propagatur, vel per generationem, matre ſiquidem, vel Patre hac lue laborantibus, nequit non tenellus infans inquinari, vel per lac à Nutrice hoc morbo correpta in infantem derivatur, vel quia infantes, qui ſunt rarioris texturæ, dormiunt cum Lue Venerea vexatis, hac ratione ut plurimum præfata Lues adultos non aggreditur, quorum corpus magis compactum, minus morboſis effluviis pervium eſt, vel per iterata oſcula, crebrumque poculorum ab infectis adhibitorum uſum. Modus præ cæteris, quo ſerpit morbus, eſt coitus cum viro, vel muliere Lue Venerea detentis.

C. Ad tollendum hunc graviſſimum morbum quodnam præſidium adhibuerunt Medici?

M. Ubi primum penes nos deſcriptus morbus caput extulit, cum nullis remediis profligari poſſet, ac proinde Medicorum artem eluderet, cœperunt iſti ſedulò inquirere, utrum cum ullo ex cognitis morbis recens malum analogiam haberet, obtemperantes Celſi præcepto ſic in proæmio ſui operis ſcribentis – Quod ſi incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore Medico de rebus cogitandum obſcuris, ſed eum viſurum protinus

 cui

cui morbo id proximum ſit, tentaturumquè remedia ſimilia iis, quæ vicino malo ſæpe ſuccurrerint, & per ejus ſimilitudinem opem allaturum. Quamobrem Jacobus Beringarius Carpenſis nuncupatus, celebris tunc temporis Anatomicus, & Chirurgus, detectâ inter Luem veneream, & rebellem ſcabiem aliquâ affinitate, uſurpatam à Meſue, aliiſquè Arabibus Doctoribus pro indicatæ affectionis cutaneæ curatione, mercurialem unctionem feliciter pro morbi gallici medella adhibuit. Quo remedio, præter nominis celebritatem, lucratus eſt plus quam quinquaginta millia ducatorum aureorum, & inſuper argentea vaſa, gemmaſquè pretioſas, quæ omnia (ita illo diſponente) hæreditate Duci Ferrarienſi obvenerunt. Ille Doctor ſic oderat Hiſpanos, ut Bononiæ degens duos ex illis gallico morbo vexatos, ceperit, eoſque vivos, Herophili, & Eraſiſtrati emulator, ſecare decreverat. Ob hanc ſævitiam è Civitate expulſus Ferrariam ſe contulit, ubi mortuus eſt. Cum tamen pro tollendo hoc morbo caſu tutiora remedia inventa ſint, Guajacum videlicèt, Sarſa parilla, & Chinæ radix, tibi Author ſum, ut iſtis prius utaris, poſtquè horum uſum, ubi morbus contumax ſit, ad mercurialia tranſeas, dummodò ſint ritè præparata. Sanè, ſi mercurius probè depuratus non ſit, prout à Beringario adhibebatur, graves noxas infert, tremorem nempe, paralyſim, contracturas, perennem ptyaliſmum, raucedinem, caſum dentium, & capillorum, qui poſtremus morbus quandoquè etiam à Lue Venerea procreatur: hinc cecinit Ovvenus

Sampſonem rigidis ſpoliavit crinibus uxor,
Hoc noſtro multa tempore ſuat Dalila.

De Medicorum mercurio apte dici poſſunt (inquit eruditiſſimus Ramazzinus) quæ de ſuo Mercurio commentus eſt Poetarum Princeps—

———————— *Animas ille evocat Orco*
Pallentes, alias ad triſtia Tartara mittit
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

RACHITIS morbus in vitiata figura conſiſtens oritur, juxta quorumdam mentem, ex inæquali ſucci nutritii diſtributione, ob

Google

ob cujus defectum, vel ſuperabundantiam, partes aliæ nutrimento privatæ macreſcunt, & emaciantur, aliæ verò plus ſatis nutritæ, ad molem juſto majorem augentur. In hoc affectu ſolent oſſa frequenter incurvari, preſertim humeri, femoris, tibiæ, & fibulæ. Ex articulis nonnulli inclinantur, nunc antrorſum, nunc extrorſum, tota ſpina ſæpè inflectitur, partim antrorſum, partim extrorſum, videturquè multoties litterę S. ſpeciem exhibere. Quę cadaverum Rachitide defunctorum ſectio nobis exhibet ſunt ſequentia. Irregularis partium proportio, caput ſiquidèm ſemper juſto majus, facieſquè plenior, habito ad reliquas partes reſpectu, obſervatur, membra externa, muſculiquè totius corporis valde emaciantur, quatuor integumenta flacida, & plurimum laxa deprehenduntur; circa articulos apparent protuberantię, quas Sectio Anatomica oſtendit in oſſium extremitatibus fieri, oſſeamquè naturam fortiri, pectus exterius macrum, & valde anguſtum eſt, ſternum acuminatum pectoris gallinę ſpeciem ingerit, coſtarum extremitates ſternì cartilaginibus adnexę nodoſę ſunt. Abdomen, quod exterius macrum eſt, ſi comprimatur, videtur interius turgeſcere. Recluſo hoc ventre obvium hepar ſemper mole naturali majus eſt, in reliquis vero a Jecinore ſano non abludit, lien, ut plurimum, à ſtatu naturali non recedit, ventriculus, & inteſtina flatibus turgent. meſenterium, & pancreas ſępe nullum vitium ſolent contrahere, quod idem militat de renibus, ureteribus, & veſica urinaria. Indicatę partes interne haud gracileſcunt, quo nomine inſigniter ab exterioribus diſcriminantur, pulmones, qui in hoc morbo ſemper pleuræ agglutinantur, tumoribus ſcatent à ſanguine craſſo, nigro, viſcidoque procreatis, in quibus quandoque latent abſceſſus, præſertim in ſiniſtri lateris lobis, membrana exterior, qua tenacier pleurę copulantur, ſolito craſſior apparet. In Thoracis cavitate inſignis ſeri extravaſati copia reperitur. Fracto cranio dura mater in conſpectum veniens majorem habet adhęſionem cum illo, quam ſtatus naturalis patiatur. Inter hanc, & piam matrem, nec non in Cerebri ventriculis, lympha congeſta ſolet deprehendi. Cerebrum, ſi molem excipias, quę naturali major eſt, cęteroquin ſanum eſt. In Rachitide arterię carotides ſunt magnæ diametri, quod idem obſervatur in venis

 jugu-

jugularibus; arteriæ vero, venæque ad exteriores partes tendentes capacitatem naturali longe minorem ſortiuntur.

Gliſſonius de hoc morbo verba faciens ſic ſcribit — Innotuit primùm hic morbus (quantum quidem ex aliorum relatione, diligenter facto examine, colligere potui) in Occidentalibus Angliæ partibus, in Comitatu ſcilicèt Dorſet, & Somerſet, triginta circiter retro ab hinc annis, ab eo tempore paulatim ejus notitia ad alia quoquè loca derivata eſt, Londinum puta, Cantabrigiam, Oxonium, immò omnes Auſtrales, & Occidentales Angliæ partes, In Septentrionalibus autem Comitatibus multo rarius hic morbus occurrit, & vix dum vulgò communiter innotuit.

Juxta Gliſſonium pars primario affecta in Rachitide eſt ſpinalis medulla è Calvaria egreſſa, altera verò ſunt omnes nervi ab eadem producti, tertia, partes membranoſæ, & muſculoſæ, ad quas nervi illi deferuntur. Ubi ſanè ſpinalis medulla male affecta ſit, nervi ab ipſa prodeuntes debita ſpirituum copia non irrigabuntur, ac proinde operationes à ſpiritibus dependentes eclipſim patientur, quarum præcipuæ ſunt motus, ſenſus, & nutritio. Spiritus profectò in animalibus, ut motus, & ſenſus, ſic nutritionis authores ſunt: ſi enim ligentur nervi tendentes ad aliquam partem, præter abolitionem in ea motus, & ſenſus, videmus illam emaciari, & contabeſcere, magno ſanè argumento eos ad nutritionem quoque concurrere, qui autem ad hoc opus concurrant arduum eſt explicatu. Ego (quicquid in contrarium doceant Anglici Doctores) ſentio ipſos activè ad nutritionem concurrere, vertere ſcilicet alimentum ad partes delatum in illarum naturam. Si horum concurſus ad nutritionem paſſivus eſſet (ut aiunt Philoſophi) quod nam incrementum capere poſſent partes ex materia adeo ſubtili, ut ſenſus fugiat? Derogat naturæ, & affectionibus ſpirituum animalium quicunque ſentit illos in partium ſubſtantiam immutari, quod hoc præſtare debet viſcidum ſit oportet, & lentum, quæ paſſiones pugnant cum ſpirituum proprietatibus, ſumma nempe pernicitate, & energia.

Ego pro curatione RACHITIDIS commendo plurimum frictiones, balnea aquæ dulcis, unctionemquè ſpinæ, preſertim unguine, factam pinguedine humana, viperæ, vulpis, taxi, ſed

pre-

præcipuè oleo formicæ volatilis, quod deobſtruendi nervos, & refocillandi ſpiritus animales vim inſignem poſſidet. hoc Sponſæ viros impotentes nactæ, cum eos ſtrenuos in lucta venerea milites ſubinde reddat, ad Cælum uſque laudibus extollunt. Remedia interna pauca omnino ſint, & evitentur Cathartica, ut rectè ſentit Sydenham. Hic ſanè quadrant ea, quæ doctiſſimus noſter Raynaldus Duliolı magnum Bononienſis, & Patavini Lycei decus, & Reg. Academ. Londin. Socius, luſce verbis eleganttiſſimè tradit in hiſt. morbi celebris J. C. Veneti – Tantum abeſt, ut præſidiorum ſupellectile ægrum conterrere velimus; quin potius medicaminum pixides obturari jubeamus, ne pruriens ipſe, aut iiſdem inhians, eas in perniciem ſuam detorqueat, Magnum ſcilicèt Pompeum imitati, qui iturus in Siciliam militibus enſes in vaginis obſignavit, ne iis abuterentur. Per os ſumat æger decoctum ſarſæ parillæ factum in aquis cephalicis, vel aquam ſtibiatam Pomponatii, prætereà, ſi morbus non tollatur, viperinis utatur remediis.

Inter morbos novos numerari quoque poteſt STERNUTATIO, quæ Gregorii Magni temporibus epidemicè graſſabatur, ob quam nimis vehementem, & diuturnam multi Homines moriebantur. Hinc nonnulli cum Cardano volunt fluxiſſe conſuetudinem benè precandi ſternutantibus, alii tamen ſentientibus altiorem ejus moris originem eſſe. Hæc opinio mihi vitio verti non debet, fateor utiquè Sternutationem nihil aliud eſſe motum contractivum, & quaſi convulſivum membranæ internæ narium ab irritatione profectum Hominibus familiarem, qui è Cerebro, naribuſquè multos noxios humores expellit, cumquè per hunc motum totum corpus concutiatur, poſſunt pravi ſucci in aliis quoque ventribus, necnon in partibus ventres ambientibus degentes ad egreſſum diſponi, mulieriſquè (ut rectè ſentit Hippocrates) partus laborioſus promoveri. Veruntamen Sternutatio Epidemica graviſſima multis Hominibus vitam adimens fuit morbus nunquam ſanè ante præfati Pontificis tempora viſus, ut Hiſtoricos legentibus eſt exploratum. Qui hoc morbo interierunt ob ſæpiſſimè iteratos validiſſimæ Sternutationis motus, paſſi fue-

Digitized by Google

runt magnorum vaſorum diſruptionem, hincquè vitale fluidum è ſuis receptaculis egrediens naturam obruit.

Pro curando hoc morbo ſalia irritantia internam narium membranam humore aqueo diſgreganda, vel oleo vincienda, aut alkali meatibus tanquam vaginæ claudenda ſunt, proderit etiam, cum ſalia in narium glandulis ſecreta ab omnium fluidorum noſtri corporis promptuario depromantur, præfata remedia non ſolum naribus attrahere, verum etiam per os ſumere, ut deducta in maſſam cruentariam mediantia inter ſalis moleculas, vel eas ſua glutinoſa ſubſtantiâ irretiendo, aut poris captivando, illarum vim enervent, diaphoretica quoquè cauſſam morbificam per cutis meatus è corpore eliminantia adhibere poterunt.

SUDOR ANGLICUS fuit febris, quæ Anno 1485. in Anglia orta graſſata eſt per Germaniam, Belgium, Hollandiam, Selandiam, Brabantium, Flandriam, Daniam, Norvegiam, & Galliam. Hac febre correpti pulſum habebant celerem, crebrum, & inæqualem, magna laſſitudine, crebra ſyncope, cordis palpitatione, & cephalalgia vexabantur, perpetuoque diffluebant ſudore, qui non deſinebat ante morbi ſolutionem, quæ ſpatio nyctimeri contingebat. Intra ſiquidem viginti quatuor horas ægri, vel ab hoc morbo immunes evadebant, vel moriebantur. Erat hoc malum ſæviſſimum, nam ubi aliquam Civitatem invadebat, ſingulis diebus quingentos, vel ſexcentos Homines corripiebat, & vix centum evadebant. Affectum hunc quidam Medici, à brevi duratione mori, febrem ephemeram appellaverunt. Qui ab hoc morbo evaſerat, quandoque bis, terquè in eundem relabebatur. Sudor Anglicus 66. annorum ſpatio quater rediit, annis videlicèt 1506. 1517. 1528. 1551. Vix unquam ultra ſex menſes ſævit, & nonnunquam trium menſium deſiit intervallo. Curationem hujus morbi exactè deſcriptam legimus in Polydoro Virgilio rerum Anglicarum celebri Hiſtorico, orbiquè litterario ex aliis operibus, & præcipuè ex tractatu de rerum Inventoribus, cognito mentionem namque faciens de hujus morbi medella, hęc monumentis mandavit. Poſt ægrotantium plurima experimenta, & obſervationes à juvantibus, & lędentibus

fa-

Digitized by Google

ſuſtas, ita uſu venit, ut remedium unicuique promptiſſimum inventum ſit, quod hujuſmodi eſt. Si quis interdiù ſudore corripiatur, cum veſtitu protinus cubatum eat, ſi nocte, & in lecto, tum quieſcat, nec ſe à loco moveat uſque ad 24. horas exactas. Interim ita ſe ſtragulis oneret, quò non provocetur ſudor, ſed ſua ſponte molliter ſtillet, nihilquè capiat, ſi tamdiù famem tolerare poſſit, neque plus potionis conſuetæ, ac calefactæ hauriat, quam modicè ſatis ſit ad ſitim extinguendam. Inter hanc curationem in primis caveat, ne manum quidem, aut pedem ſuum refrigerandi, recreandiquè cauſa, extra ſtragula proferat, quod facere lethale eſt.

PLICA POLONICA eſt morbus, in quo capilli inter ſe implicantur, nexumquè denſum efficiunt, qui cum Polonis, præ reliquis gentibus, familiaris ſit, & quaſi endemius, idcircò Plica Polonica nuncupatur. Dicitur quoquè morbus Cirrorum. Iſte morbus, qui, dum primum inchoavit, nullam noxam inferebat, paullo poſt valdè moleſtus factus eſt, nam infringit oſſa, laxat artus, vertebras lædit, membra conglobat, & retorquet, gibbos efficit, tantamquè promovet pediculorum geneſim, ut quicunque conatus ad illos enecandos adhibitus irritus ſit. Capillorum complicatorum præciſio graviora mala acceſſit, oculos videlicèt, caput, manus, pedes, juncturas, omnes denique corporis partes inſigniter torquet. Iſte morbus mulieres potiſſimùm invadit, præſertim illas, quæ modicum, vel nullum habent fluxum menſtrualem, viroſquè Lue Venerea laborantes, à quibus in filios derivatur, corripit quoque illos, qui tineâ inquinati illam remediis repercutientibus repreſſerunt. Quidam, rari tamen, hoc morbi genere diù vexati, tandem ab illo, nullo adhibito remedio, liberantur, maxima tamen pars cum illo cogitur interire. Qui præſidia medica adhibet ad hoc malum profligandum, ut plurimum, oleum, & operam perdit. De Plica Polonica ſic ſcribit Schenckius lib. 1. obſervationum Medicarum obſervatione 13. – Horridum quoddam, & implexum, adeoquè intricatum capitis, & barbæ capillitium apud noſtros haud infrequens, cæterum veteribus cujuſcunquè ætatis Medicis incognitum,

obſervare licet, quo affectu prælongas capillorum tricas, & cincinnos mirificè intricatos, digiti ſæpe craſſitie, ex reliquo capitis, & barbæ capillitio ad humeros, pectus, & aliquando ad umbilicum uſque demiſſos propendere videas, aſpectu planè horrifico, & gorgoneum caput præſeferente: quos illi magna religione prorſus incultos nec ferro præſcindere, nec pectine explicare, ſuſtinent, perſuaſi omninò graviſſima capitis morborum fomenta, velut Apoplexiæ, Paralyſis, Maniæ, & comprimis contumacis Cephalalgiæ, conſimiliumquè materiam iiſdem alendis abſumi. Qua ſive ſuperſtitione, ſive multa Hominum obſervatione ducti, quidvis potius, quam eorumdem culturam, & præciſionem, velut rem prorſus infeſtam, & lethalem, admittunt, factiſquè de experimento, & hiſtoria periculis, ſententiam ſuam mordicus tuentur. Qui ex iis elegantiores haberi volunt, tricas hujuſmodi, capitis quidem intra pileum, barbæ verò ſubtus pectorale convolutas prius recondunt, ne conſpiciantur. Alii verò inter congreſſus publicos, nec ſi cellare velint, poſſunt, nec, ſi poſſunt, volunt. Adeo, & geſtantium, & conſpicientium animis indubitata fides inſedit, & citra obrobrium, aut vituperium, velut rem maximè ad vitam ſuſtentandam neceſſariam, conſpiciendas ſinunt. Vulgus, ſi in tales incidere contingat, ſtatim de occulto, & latente, atque difficili aliquo capitis morbo eoſdem ſuſpectos habet.

Ut capilli complicati Plicam Polonicam procreant, ita explicati quandoque morbos acceſſunt. Moratur Bononiæ advena Sacerdos ætatis annorum 60. circiter, gracilis, torpidiquè temperamenti, à Juventute uſque ad indicatum tempus ferè ſemper noctambulus, qui dum capillis mitruitur, gravi capitis dolore laborat, viresquè adeò enormes contrahit tempore ſomni, ut novus quodamodo Sampſon in rerum natura dari videatur, tunc etiam res ponderoſiſſimas, quibus ferendis plures vegeti bajuli vix pares ſunt, nullo labore, perinde ac ſi paleas moveret, perniciſſimè ad remota loca deſert. Quadam nocte, ob capillorum incrementum, conſuetas portentoſas vires dormiendo nactus totam ſupellectilem cubiculi, ubi morabatur, in qua arcæ prægrandes erant maximi ponderis, utpote confertiſſimis veſtibus repletæ, in editiſſimum horreum detulit, poſtmodum iterum lecto

ſeſe

ſeſe commiſit. Mane vigil factus cubiculum, omni ſupellectile nudatum aſpiciens ſibi profundo ſomno correpto domum expilatam fuiſſe queſitus fuit. Abraſis capillis duo in hoc Sacerdote ſiunt, liberatur a cephalalgia, vireſquè in ſomno ad ſtatum naturalem rediguntur, quorum poſtremum contingit integris capillis, ubi evigilat, vireſquè in eo à ſomno expergefacto, ſive capillos habeat, ſive non, adeo languidæ ſunt, ut leviſſimo ictu ſolo proſternatur.

MORBUS HUNGARICUS Anno 1566. in Hungaria procreatus eſt, nam cum Maximilianus Secundus Imperator contra Solimanum Turcarum Imperatorem expeditionem ſuſcepiſſet, ad Commoram cepit graſſari febris tanta malignitate prędita, ut videretur ad peſtem accedere, illius ſiquidem contagium cito longe, lateque ſeſe diffundens mares, fœminaſquè cujuſcunque ętatis corripiebat, ac multis moliebatur interitum, dimiſſoquè exercitu per Germanos, Gallos, Italos, Belgas, & quaſi per totam Europam (militibus ex Hungaria ad nativas ſedes tendentibus) prefatum malum diſſeminatum eſt. Hęc febris Medicis, Cauſonis ſpeciem ingerebat, nam ſummus in ægrorum corpore percipiebatur calor, aderat ſitis inexhauſta, linguæ ariditas, & nigredo, preterea infenſiſſima cephalalgia, quæ reliquas corporis moleſtias vix ſenſibiles reddebat, & ſępe maculæ rubræ in extima corporis ſuperficie procreabantur. Nonnulli opinantes graviſſimum capitis dolorem à vermibus in Cerebro natis originem trahere, morbum hunc febrem vermis Cerebri appellaverunt, quod tamen Volcherus Coiter in dubium revocavit. Invadebat hæc febris circa tertiam, vel quartam à meridie horam cum frigore, & horrore, quem poſt horæ quadrantem, excipiebat calor, qui brevi intenſiſſimus fiebat. Sub Sterno ad mucronatam cartilaginem obſervabatur durities, quam ægri manuum contactu explorare vix patiebantur, poſtridiè, vel ad ſummum tertia die, delirio corripiebantur, quod ad plures dies producebatur, quibuſdam ſuperveniebat Diarrhęa, aliis Hęmoptoë, quam plurimos facta materiæ morboſæ in auribus metaſtaſis ſurdos reddebat, Parotides frequentes erant. Ubi Tubercula in

ſum-

ſummo pedis, quod non rarò contingebat, oriebantur, hæc ſerpendo multoties in ſphacellum crus occupantem ſuccellebant. Alii decima quarta die à morbo evadebant, qui in aliquibus ad vigeſimam diem protrahebatur. In hac febre vini uſus pernicioſiſſimus erat, cum obſervatum fuerit eos omnes, qui à vini potu non abſtinuerant, interiiſſe, remedium reliquis præſtantius erat phlebotomia; fuit quoque magnarum virium ſcordium, quacunque ratione uſurparetur.

Thuanus lib. 72. ſuarum hiſtoriarum meminit novi morbi, quem Itali VERVICINUM appellarunt, qui in Oriente primum, deinde in Italia, & Hiſpania lethalis (nam ex eo Anna Philippi Regis uxor deceſſit, & Gregorius XIII. periculosè ægrotavit) poſtea Septentrionem pervagatus, apud noſtros (utor Hiſtorici verbis) incognita remediorum ratione multos adflixit COQUELUCAM, vulgò vocabant, verbo, anno hujus Sæculi X. feliciter apud nos imperante Ludovico XII. uſurpato: quæ famem, & peſtilentiam ante biennium toto Regno graſſatam ſecuta eſt, ut ex Annalium noſtrorum fide conſtat. Erat id ægritudinis genus non tam mortifera vi timendum (quamquam, & ex illo multi perierunt) quam progreſſu, & celeritate, qua proxima quæque loca, ſerpente contagione, complectebatur, admirabile. Primò inferiorem dorſi ſpinam horrore plerumque occupabat, dein horrori gravedo capitis, & languor membrorum, quos corripiebat, reſolvens, ſuccedebat pectori inprimis gravis. Quibus verò intra quartam, vel quintam diem malum non deceſſiſſet, in febrem degenerans eos interimebat, ad multis neglectum in bonum vertit, lethale fere iis, qui medicamentis purgantibus, aut venæ ſectione utebantur, quæ utraque difficilem reſpirationem efficiebant, illa, quod humorem omnem à capite in pectus trahebant, hæc, præterquam quod refrigerabat, etiam vires debilitabat, quibus ad reſpirationem, & ad vim morbi ſuperandam, validis opus erat.

In Oppido Czarko, & adjacente Territorio ad Poloniam ſpectan-

ſtante æſtate anni 1679. viſa ſunt allata Inſecta omnibus antea, ignota cum eorum non meminerint Mouffetus, Aldrovandus noſter, Jonſtonius aliiquè, qui de Inſectis egerunt. Hæc ſuis aculeis, lethalibus vulneribus Hominibus, brutiſquè inflictis, multis vitam ademerunt, ob hujuſmodi ſiquidem Animalcula ingens equorum, & boum numerus, & 35. Homines interierunt. Ut ab Hominibus non irritarentur, impetu tamen in eorum partes denudatas, faciem videlicet collum, & manus, facto, eas lethaliter vulnerabant. Puncturam durus tumor excipiebat, qui niſi primo triborio curaretur, educto ſcarificatione, aliiſque rationibus veneno, nullam amplius curationem admittebat, læſiquè intra paucos dies moriebantur; quodquè valdè mirum erat, intactis qui ibi aderant Germanis, ſolos Polonos, eoſquè mares invadebant. Sub finem Septembris ex heſce Inſectis nonnullæ vento ad finitimas regiones delata, hebetato a frigore veneno, parum detrimenti attulerunt. Horum animalculorum exactam deſcriptionem Anonimus in Ephemeridibus Germaniæ tradit, quam celeberrimus Mangerus inſeruit T. 4. B. M. p. m. 853., & 854.

C. Fuit ne hoc Inſectum animal novum, ac proinde novus pariter morbus, ſaltem ratione cauſſæ ab eodem profectus?

M. Hæc quæſtio difficilimè dirimi poteſt. Etſi præfati Philoſophi de hoc Inſecto verba non fecerint, exploratum non eſt illud tunc temporis in rerum natura defuiſſe. Multa, quę veteribus, incomperta erant, ignoranturquè modo a recentioribus, hoc, & ſubſequentibus Sæculis detegentur nunquam tota exhaurietur natura, quicunque conatus à Philoſophis adhibeatur, cum enim longe, latequè pateat, ſemper aderit aliquid a poſterioribus Hominibus illius librum evoluentibus è tenebris in lucem educendum. Si præfata animalia nova fuerunt, cum ad explicandum hoc phænomenon, non adſit neceſſitas Deum in Mundi ſcenam trahendi (non eſt ſiquidem dignus tanto Vindice nodus) & ad generationem ex putri jam dudum è Recentiorum ſcholis exploſam confugi nequeat, ſentio illa ex coitu tunc, & non antea habito, inſectorum volatilium diſparis indolis pullulaſſe. Nam ut in Africa frequentia ſunt monſtra, quia ob ſiccitatem, animalia diverſæ claſſis ad eundem fontem accurrentia ſimul congre-

diun-

diuntur. Ita etiam in præſentia, non ob aquę defectum, ſed ob aliam cauſſam, animalia diverſę ſpeciei nunc primum coeuntia inter ſe, inſecta nunquam antea viſa gignere poſſunt.

Otho Heurnius in obſervationibus praxi Fernelianę adnexis, & Lerius cap. 11. Hiſtorię Braſilienſis, meminerunt morbi peregrini, Europę Regionibus omninò incogniti, Braſilię Enuerni digitos pedum, manuumquè ut plurimum, & quandoquè alias quoquè partes corripientis, eaſquè atroci gangrena corrumpentis TON ab indigenis nuncupati. In Braſilia ſunt exigua animalia per arenas divagantia precipuè in iis locis, quibus arundo ſaccharifera provenit, colore, inceſſu, & ſaltu ad pulices accedentia, mole tamen longè minora, utpotè arenæ granum vix æquantia. Hęc quam gracilia animalia manus, pedeſque precipuè, ut dictum eſt, invadentia ſe ſe intra ungues illatebrant, ibiquè deliteſcunt, dumquè ad interiorem cutis partem ſibi viam cudunt, id leniſſimè peragunt, vulnuſquè adeo leve procreant; ut primo biduo non ſentiatur: quod poſtmodùm dolore ſe prodens, & exacerbatum parit ingentem, & intolerabilem pruritum, ex cujus acriori fricatione livida macula emergit ut exiguum tumorem caput aciculę non excedentem excreſcens. Inſectum TON in centro hujus tuberculi velut pupilla in oculo recubat, & circa peripheriam inſtar vermis ſe ſe protendit, inſequiturquè gangrena, ubi congrua remedia non adhibeantur. Braſilienſes ungunt partes affectas oleo quodam ſpiſſo, rubroquè ex fructibus, quos appellant *Cureque*, expreſſo, quod in hoc morbo remedium eſt preſtantiſſimum. Habent etiam peculiarem modum ea extrahendi: neutrum quorum ſi peragatur, tantum ferro, & igne domantur. Minus infeſtant Braſilienſes ob cutis duritiem, quam Negritas, ſed Europæos faciliimè invadunt ob cutis teneritudinem. De hiſcè Inſectis Lerius citato loco ſic ſcribit – Non ſolum Barbari, qui toti nudi incedunt, ſed nos quoque bene veſtiti ab iiſdem infeſtamur. Ego & ſi diligentiſſime ab iis caverem, ita fui infeſtatus, ut uno die ultra 20. ex variis mei corporis locis evulſa ſint, vidi quoſdam minus accuratè degentes, quibus non tantum manus, & pedes infeſtabantur, ſed

axil

axillę, alięque moliores partes tumoribus, puſtuliſque eorum Infectorum erant opplete.

Cardanus lib. 2. de Subtilitate cujuſdam peſtis ita mentionem facit — Mira peſtis varietas, nam referunt Authores fide digni Conſtantinopoli (olim Bizantium dicebatur) peſtem obortam, quę hujus erat generis, ut qui ea laborarent, aut quibus morbus imminebat, viderentur ab alio Homine cędi, perturbatiquè hoc errore moriebantur, interim nec videbant, nec audiebant, ſed velut attoniti, & lymphatici, ſenſibus, & mente excutiebantur, Febrequè, ac tuſſi cum laborarent, color tamen, & calor haud mutabantur, tubercula variis in locis, pro Hominum natura, apparebant, tandem Veterno, alii inedia conficiebantur; quidam etiam ob ſitim in puteos ſe precipitabant.

Grecię viguit quedam peſtis à Thucydide deſcripta, qua correpti graviſſimis vexati ſymptomatibus ut plurimum moriebantur, ex ſuperſtitibus quidam memoriæ uſum prorſus amittebant. Quapropter Homines in Mundum recenter invecti videbantur, quorum menti nihil poterat firmiter inherere.

C. Hæc peſtis ad meam mentem revocat id, quod olim in Plinio legi de quodam Meſſala Corvino Oratore, qui gravi morbo detentus, ubi ab illo evaſit, adeò immemor redditus eſt, ut vel proprii nominis oblitus fuerit.

M. Sanè in hoc indicatus Meſſalæ morbus conveniebat cum Græcorum peſte, diſcriminabatur verò ab hac, quia non fuit morbus, qui plures ad inſtar hujus invaderet. Mercurialis proponit peculiarem peſtem pedes, tibias, & oſſa ita infeſtantem, ut correpti intra triduum plerumque morerentur. Comperta fuit Giorgio Agricolæ peſtis, quæ omnium Hominum membra ſtupefacta, & ſyderata reddebat. Idem Author nobis ob oculos ponit peſtem, quæ totum ferè corpus in putredinem vermінoſam reſolvebat. Ad morbos novos referri poteſt illa vis morbi quæ oppreſſit Gronomenſes Virgines (id indicante Petro Crinito lib. 3. de honeſtate) ob quam, cum omnia remedia incaſſum adhibita eſſent, omiſſo potiſſimo, quod fortaſſè erat coitus plures nervosè repetitus,

Dummodo legitimus mulier permiſſa Tabellis,

Secus ab illo prorſus cavendum erat, in præaltos puteos ſe projecerunt.

C. Cur

C. Cur quæſo ais præfatas Virgines evaſuras fuiſſe ab illo gravi morbo, ſi nuptæ fuiſſent.

M. Me ad id dicendum impellunt variæ hiſtoriæ, quarum aliquas tibi nunc indicabo. Nobilis mulier, cujus meminit Mathæus de Grado conſilio 80. dum utero non gerebat, tenebroſa perturbatione, ac membrorum omnium tremore ſubinde corripiebatur, indè à ventris quodam murmure, & rugitu, ſic effrenato libidinis incendebatur pruritu, ut niſi maritus coitu præſto eſſet, in gravem inſaniam incideret. Schenckius, ubi de Mania, & ipſe meminit cujuſdam mulieris furore uterino correptæ, quæ oberrans per plateas Homines ad concubitum ſollicitabat. Hæc caſu ad tabernam, in quam quindecim juvenes convenerant, perveniens, à ſingulis compreſſa, recuperata actutum ſanitate, ad patrios lares redit. Viros ipſos amor in graves, perniciosos, & portentoſos quandoque trahit morbos. Seleucum Novercæ Stratonicæ Reginæ formoſiſſimæ amore languentem, fatoquè propinquum (hoc ſagaciter ab Eraſiſtrato detecto) Pater Antiochus è mortis faucibus retraxit, eâ in uxorem infirmo conceſſo febris amatoriæ morbi graviſſimi reliquis Medicis incognito Authore. Quod opus ſanè undequaquè commendatum fuit, nam

Quæ bello eſt habilis, veneri quoque convenit ætas
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Addendum ſalaces Juvenculas languidis ſenibus nuptas, cum voluptatis parum ex coitu in ſe ipſis perfectè non abſoluto, percipiant, inertes viridarii naturæ cultores odiſſe.

Sæpe requieſcit ager non ſemper arandus, at uxor
Eſt ager, aſſiduo vult tamen ille coli.

Nonnullæ exuta verecundia (quo trahit quandoque unitum inter longe diſparis ætatis Homines Matrimonium!) ſibi cautè pulchrum, vegetumquè Juvenem comparant, qui injuriam in geniali lecto ſibi ab ignavo marito frequenter illatam ſtrenuè ulciſcatur; hac conditione appoſita, ne cum aliis mulieribus congreſſum habeat, contractamquè conſuetudinem perenni involvat ſilentio.

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus
In quo nupta jacet; minimum dormitur in illo

Tunc

Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor.

Præſertim cum æſtu venereo agitata virum fortita ſit, qui moleſtè libidini nequeat facere ſatis. Honeſta ſanè, & jucunda res nuptiæ ſunt (inquit Paulus Manutius) ubi ad generis perpetuitatem fœminis jungantur viri, verum.

Diverſos diverſa juvant, non omnibus annis
Omnia conveniunt, res prius apta, nocet.

Illud dictum noſce te ipſum ab Apollinis Oraculo emanatum accurate revolvant animo ſenes, ubi ad mollitiem quamdam, & inanem voluptatem deflexuri ſunt, intelligentquè, ſpartam, quam nanciſci vellent, ſe ornare non poſſe. Senibus igitur Author ſum, ut à nuptiis abſtineant. P. Bartoli in tertia parte hiſtoriæ Sinarum meminit cujuſdam Principis, qui adeò perditè quandam concubinam amabat, ut illius amore ſui ipſius, & reliquarum rerum obliviſceretur, hac gravi ægritudine correpta, mortuaquè, parum abfuit quin furore percitus ſupra amaſiæ cadaver ſeſe non interimeret,

——— *ſed quid non, mortalia pectora cogit*
Tantus amor?

artem excogitavit (jam dudum tamen inventam, & attributam Admeto, ut colligitur ex Euripidis Alceſte) illam penes ſe conſervandi, & vivendi cum illa, perinde ac ſi mortua non eſſet. Statuam illius, cujus caput ex perfectiſſimo argento, reliquum corpus ex cambala odorifero ligno conſtabat, à præſtantiſſimo Artifice elaboratam nactus eſt, qua dilectam juvenem ſic referebat, ut in illa, præter animum nihil aliud videretur deſiderari. Cum hoc inſenſili Simulacro, quod, adhibitis præſtigiis, animatum videbatur, noctes ducebat inſomnes, perennes lacrymas effundebat, illiuſquè ferè nunquam intermiſſis amplexibus pernitioſam flammam fovebat, donec ob amorem omnimodè mente captus in morbum incidit, qui brevi eum è viventium numero extraxit. Profectò

Ebrietas, & amor ſimiles, extinguit uterque
Corporis ebrietas, lumina mentis amor.

SCORBUTUS eſt morbus, qui juxta Servium, VVierum, Glſ-

Gliſſonium, alioſquè Medicos priſcis temporibus non dabatur (quicquid in contrarium tradant VVillis ius, Sennertus, & alii,) iſte morbus ex pluribus morbis coaleſcens indolis interdum contrariæ, univerſas corporis partes infeſtat. Morbi in Scorbuto caput torquentes ſunt cephalalgiæ immanes, & habituales, modo vagæ, modo periodicæ, in quibuſdam Scorbuto correptis datur ſpirituum torpor, & ſomnolentia, in aliis vigiliæ pertinaces, & crebræ, adſunt præterea vertigines, convulſiones, paralyſes, graves hæmorrhagiæ, ptyaliſmus, gengivarum ulcera, dentium vacillatio, & oris fœtor. Moleſtię pectoris ſunt dolores acuti, & lancinantes in variis membranarum partibus procreati, frequens aſthma, reſpiratio difficilis, & inæqualis, pectoris conſtrictio, & anguſtia, tuſſis ſicca, pulſus inordinatus, crebrę lypothymiæ, earumquè metus ferè continuus, quod poſtremum ſymptoma ad morbos capitis referendum eſt. In Abdomine vero præ reliquis ſuam tyrannidem Scorbutus exercet, ibi namque fiunt nauſea, vomitus, ructus, cardialgia, hypochondriorum inflatio, berberiſmus, dolores colici, & nonnulli etiam totum inteſtinorum tractum occupantes, adeſt quoque ſæpiſſime contumax diarrhęa, quæ quandoque adaucta humorum acredine, faceſſit in dyſenteriam, non deſideratur teneſmus, atrophia, & interdum malorum cumulo additur aſcitus. Non ſolum præfatos tres ventres, verum etiam artus, totamquè exteriorem machinam Scorbutus invadit, adeoquè nullam corporis partem intactam relinquat. Morbi ab illo in artubus procreati ſunt eorum debilitas, & enervatio, ulcera, univerſalis laſſitudo. In externa corporis ſuperficie generantur maculę, quę primum rubicundæ multam habent analogiam cum illis à pulicum morſu procreatis, hinc purpureæ, & ſublividæ evadunt, tandemquè atrum colorem contrahunt. Maculę illę ſine exulceratione 30. vel 40. annos vigentes frequentius in cruribus obviæ ſunt, cum naturę in more poſitum ſit humores peccantes ad partes ignobiles, & remotiores propellere: quandoquè tamen in dorſo, & brachio fiunt, eæquè interdum ſunt magnę molis. Generantur pariter in externa corporis ſuperficie tumores, tubercula, & ulcera cacoetica. Scorbutus muſculis non parcit, dum eos ſtupore, formicatione, auræ frigidæ aſcenſu, contracturis,

ten-

tendinumquè ſubſultibus vexat. Maſſa cruentaria in hoc morbo inſigniter vitiata interdum plus æquo incaleſcens febris evadit ſubjectum, quæ typum non ſervat, cum erratica ſit.

· Scorbutus Regionibus Septentrionalibus, & Maris Baltici accolis, uſquè qui Germanico Oceano adjacent, Saxoniæ inferiori, Hollandiæ, Selandiæ, Flandriæ, Islandiæ, Friſiæ, VVeſphaliæ, Promeraniæ, & finitimis populis malum endemium, & vernaculum eſt.

Cibi ad procreandum Scorbutum idonei ſunt caro bubula, caprina, hircina uberrimo ſale à corruptione immunis reddita, vel muriâ, aut aceto macerata, fumo ſiccata, & indurata. Piſces lacuſtres, & maritimi ſale, & muriâ conditi, calore Solis, aut frigore exſiccati, Aves aquis ſtagnantibus, & paludoſis diù immorantes, & ut paucis me expediam, edulia ex ſanguine, carne, aliiſquè ſimul mixtis ſale conditis, & fumo exſiccatis confecta, qualia nautis familiaria ſunt. Hæc ſanè valde conducunt ad Scorbuti geneſim, uberrimum enim ſalem fixum (ut egregiè philoſophatur Sennertus) quo præfata cibaria imbuta ſunt, natura totum volatilem reddere nequit. Notabilis igitur illius copia ſub ſtatu fixationis in primis viis hærens congeſtioni ſcorbuticæ materiæ plurimum favet.

Potus quoque inter Scorbuti cauſſas reponendus eſt. Et primùm aquæ corruptæ, & verminoſæ, quibus ſæpe infelices nautæ coguntur uti, præſertim in regionibus calidis eas ad corruptionem diſponentibus. Item aquæ craſſæ, impuræ, ſubſalſæ ortum trahentes à fontibus, qui cum in aprico poſiti non ſint, ſolaribus radiis non gaudent, quod ſanè aquarum bonitati plurimum detrahit. Vinum pariter, & cereviſia, aliique ſucci è Vegetabilium familia deprompti, ubi debitam fermentationem non ſubierint, ac proinde depurati non ſint, obſtructiones in corpore gignendo, præfatum malum acceſſere poſſunt.

Aer & ipſe plurimum conducere poteſt ad hujus morbi procreationem 1. ſi à ventis ſalutaribus non agitetur 2. ſi nitro careat, quod reſpiratione, vel chyli ſemita in ſanguinem deductum fluidi vitalis lentorem, & viſciditatem deſtruit 3. ſi craſſorum effluviorum uberrimâ copiâ præditus ſit, ob quam valde ponderoſus redditus maſſæ cruentariæ circulationem retardet,

 illuſ-

illiuſquè activa principia plus æquo diſgreget, & tranſpiratio-nem inhibeat 4. ſi Salis marini moleculis imbuatur, à quibus obruta natura nequeat fermentationes in fluidis excitare requiſitas ad illorum depurationem, & exaltationem, ob cujus defe-ctum sùs, dequè vertitur animalium œconomia. Sanè ubi ſalia fixa luxuriant in ſanguine, inquè primis viis, modica principia volatilia utrobique exiſtentia ab illis figuntur. Contrariatur enim ſal fixus volatili: nam omne fixum à volatile redditur vo-latile, ſicut è contra volatilia à fixis figuntur, & fixa redduntur.

Vere, & Autumno magis infenſus eſt Scorbutus, quam aliis anni temporibus. Vere quidem, quia humores morboſi hyeme velut lethargo correpti evigilare incipiunt, cumquè ſalinis cuſpidibus impregnati ſint, partes vellicando moleſtiam inferunt. Autumno, quia tunc, minorata inſenſibili tranſpiratione, ſalinæ moleculæ intra corpus coercitæ illius nervoſas partes irritant, quæ irritatio tempore æſtivo minor eſt, quia cum tunc corpus undequaque patulum ſit, ex hiſce gladiolis plurimi in auras abeunt.

Otium, & vitæ genus iners, exercitium, & motus intermiſſus influere poſſunt in Scorbuti geneſim. Motus ſanè ſpontanei, & voluntarii ad vitam ſalubrem ducendam apprimè neceſſarii ſunt. Cum in ſanguine pars ſeri concreſcibilis valdè prona ſit in coagulum, ubi hæc per motum ſub ſtatu fluiditatis non detineatur, ab aliarum conſortio ſecernitur, & concreſcens in polypos, vel vaſorum adhærens parietibus fluxuris humoribus viam intercipit. Ubi vero contrahuntur muſculi, comprimuntur vaſa ſanguinea, vi autem hujus preſſionis ſanguis ad minima redactus vias ſubit ſenſibus inconſpicuas, promptius fermenteſcit, & depuratur, glandulisquè idoneos ſuccos ſuppeditat pro manutenenda animalium œconomia. Fit motus (ut inquit Ettmullerus) vicarius cujuſcunque venæ ſectionis, purgationis, alteriuſquè ſanguinis correctionis, quod ruſticorum, & mechanicorum vegeta, & robuſta cohors palam facit. Ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. In rem noſtram ſic loquitur Seneca – qui ſe utitur vivit. Optimus omnium motuum eſt ille, inquit Plato in Timæo, qui in ſe ipſo ex ſe ipſo fit, nam & mentis, & to-

tius

tius motioni cognatiſſimus eſt: qui ab alio fit, deterior eſt. Ubi tamen præfatus motus haberi nequit, alium locum illius ſunt ſubſtituendi. Quod videmus Naturam in Plantis moliri, cum enim in iſtis utpotè terræ infixus motus localis deſideretur, ductuſquè ſpirales aere turgidi, fermenta exiſtentia in utriculis, alterna dies, noctiſquè viciſſitudo non ſufficiant ad deobſtruendas fiſtuloſas fibras, & ad conſervandam vitalis humoris fluiditatem, Deus ſubinde proferens ventos de theſauris ſuis eas vehementer agitat. Hæc autem valida concuſſio vaſa aperiens, craſſiſque ſuccis debitam fluiditatem concilians plantarum vitam fovet. Hac ſanè de cauſſa menſe martio, imminente plantarum vegetatione, vehementes ſtant venti, qui fiſtuloſum earum corpus ſuccutiendo vias reſerant pro inchoanda vitalis fluidi circulatione, utriculorum fermenta antea narcoſi quodammodò oppreſſa tunc temporis moveri incipiunt, quò in humorem per ſcabros partium internarum tubulos aſcendentem ita agant, ut illum nutritioni Plantarum reddant idoneum, ac partes illius impuras, quæ nec in ſubſtantiam energeticam exaltari, nec ad nutritionem diſponi, nec pro molecularum nutrientium vehiculo inſervire poſſunt, ad tranſpiratum præparent, qui in foliis potiſſimùm celebratur, ubi ſui generis glandulæ reperiuntur humorem excrementitium ſeparantes, illumquè ſuis excretoriis foraminibus è corpore eliminantes. Patentibus poſtea ob eandem aeris agitationem tubulis exteriorem corticem conſtituentibus, humor ad Plantæ verticem per fiſtulas interiores propulſus, per illos ad Plantæ radicem, ſeu os (ut cum Theophraſto loquar) deſcendit, ubi ab uberrimis tracheis aere turgidis ibi exiſtentibus, nec non à ſucco è terræ viſceribus recedente, patulamquè Plantæ radicem ſubeunte, magnopere agitatus novo quaſi vitalitatis charactere imbuitur. Sed quò feror inventorum à Malpighio noſtro dulcedine abreptus?

5 Inter animi pathemata triſtitia tranſpiratum impediens Homines in locis maritimis degentes, craſſoquè utentes cibo, ad Scorbutum diſponit.

Provida Natura, quæ *dat nivem ſicut lanam*, in locis huic morbo obnoxiis procreat plantas ſale volatili ditatas, quales ſunt cochlearia, raphanus ruſticanus, ſiſimbrium, ſeu naſturtius aquaticus,

ticus, petaſitis, ſcordium, & aliæ, quæ lentorem in hoc morbo vigentem deſtruant. Alibi quoque, ubi naſcitur unum venenum, non valde diſtat ejus antidotum. Sic in monte Baldo, quem Botanici celebrem reddidere, cum ibi propriæ curioſitati pabulum inveniant uberrimum, ubi napellus pullulat, ibi anthora creſcit. Immò in eodem vivente vim deleteriam, & alexipharmacam collocavit, ut videre eſt in vipera, cujus ſuccus venenatus dentium vaginis inclusus, ubi vulnuſculo corpori dentibus inflicto, ſtatim animalium ſanguinem ſubit, incipitquè ejus, denique vertere illorum œconomiam, ſale volatili, pulvere, vel carne viperina cohibetur, turbaſquè amplius ciere nequit. Chalybeata, necnon viperina remedia pro Scorbuti medella adhibenda ſunt, potus etiam aquarum Thermalium proficuus eſt. Ut melancolicis equitatio, ſic Scorbuticis pariter prodeſt. Cibaria in hoc morbo ſint euchyma, & eupepta, boni videlicet ſucci, & facilis digeſtionis, viquè polleant incidendi, detergendi, vaſorumquè infarctus tollendi. Diæta valde tenuis ſe ſola hoc præſtremum præſtare poteſt. Innumera animalia à Franciſco Riedi fame enecata, cultrumquè paſſa Anatomicum, ſanguinem, alioſque ſuccos fluidiſſimos, ac viſcera ab omnibus oppilationibus expedita præſtantiſſimi Philoſophi oculis exhibuerunt, magno ſane argumento diætam rigoroſam inſervire ad ſanguinis ſubactionem, & ad tollendas viſcerum obſtructiones. Galenus ſanè, hac victus ratione, difficultatem anhelitus, magnos Lienis tumores, Hepatis Scirrhum, alioſque morbos ab humorum glutine pendentes profligavit.

Remedia hactenus propoſita in Scorbuto ab humoribus craſſis, viſcidiſquè procreato uſurpanda ſunt, Si verò Scorbutus ab humoribus tenuibus, & acribus proficiſcatur, tunc incraſſantia, & lenientia locum habent, quæ, cum tibi comperta ſint, ſilentio involvo.

C. Qui M. percipere poſſum Scorbutum nunc à craſſis, modò à tenuibus, acribuſquè ſuccis ortum trahere?

M. Qui Scorbutum humoribus craſſis, viſcidiſquè referunt acceptum, ſunt, ut plurimum, ſine exanthematis, nempe eruptionibus cutaneis torpidi, anheloſi, ac enerves, laſſitudine ſpontanea, & pectoris anguſtia laborant, quin paſſionibus cordis,

ſpi-

ſpirituum deliquiis, vertigini, & convulſionibus obnoxii ſunt. Qui verò Scorbutum ab humorum tenuitate, & acredine pendentem patiuntur, habent corpus maculis inquinatum, gingivarum ulceribus vexantur, ſubinde hemorrhagiis, doloribus, cordiſque palpitatione corripiuntur, valdè emaciantur, diarrheâ, & dyſenteriâ torquentur.

Illis, qui Scorbuto laborant ab humoribus craſſis, viſcidiſquè genito, remedia longe majori doſi, itaut tertia parte ſint validiora, præſcribant Medici, ſi ſecus facient, irritabunt, non tollent morbum. Hoc idem præſtandum eſt (inquit Thomas Bartholinus penes Bonetum in Medicina Septentrionali) in nautis, ubi in morbos incidant, cum enim illorum victus à terræ incolis plurimùm abludat, omnibus aeris injuriis ſint expoſiti, animumque ſemper conſternatum habeant ob imminentis mortis metum, ejuſmodi morbos contrahunt, qui non niſi larga doſi purgantium, diaphoreticorum, & diureticorum profligari poſſunt.

Scorbutus morbus eſt, qui totalem curationem non admittit, hunc quem ſemel invaſit, nunquam prorſus dimittit: quod valet quoque, ut plurimùm, de Plica Polonica, & Syphilide, præſertim ubi procreentur in corporibus male affectis, quapropter lepidè dici ſolet: Homines omnibus vicibus, primâ excepta, ab hiſce morbis liberati. Cum Scorbutus morbus contagioſus ſit, ab infectorum comercio quæſo caveant ſani, ne dira lues in illos derivetur. Quandoque inter morbos epidemicos Scorbutus reponendus eſt, cum à victu pravo communi, conſtitutione humida, & uliginoſa plurimos ſimul in eadem regione invadat, ut legere eſt penès Rombertum Dodoneum, Foreſtum, Sennertum, aliosquè, quorum poſtremus adnotat, ut contrahatur Scorbutus, duas cauſſas ſaltem jungi debere, aerem videlicet uliginoſum, pravamquè victus rationem. Mirari igitur non debemus Venetos in ſtagnis, & paludibus Maris Adriatici degentes ab hoc morbo immunes eſſe, quia victu utuntur planè diverſo ab illo, qui Saxonibus familiaris eſt. Tartari, & Arabiæ montanæ incolæ, eſto pravo, & inordinato victu utentur, adhuc tamen, cum meliorem aquam, & aerem nanciſcantur, hunc morbum non patiuntur.

HECTICARUM FEBRIUM veteres ſive Græci, ſive Latini penè uſque ad Galeni tempora non meminerunt. Ideircò hæ inter morbos novos recenſeri poſſunt, ſi enim extitiſſent, cum inſigniter ab aliis febribus diſcriminentur, illarum deſcriptionem, curationemque veteres propoſuiſſent.

Febris Hectica eſt febris continua, puſilla, ac lenta, quæ poſt unam, vel alteram horam à cibo exacerbatur, idque ſemper contingit, & ſi hora ſumendi cibum immuterur, augetur autem non prævio horrore, rigore, aut frigore, ſed cum incaleſcentia quadam, pulſu crebriori, genarum rubedine, & calore, deinde poſt aliquot horas, in priſtinam remiſſionem relabitur. Hæc febris ſenſim tantam infert maciem, ut progreſſu temporis pelle duntaxat oſſa obducantur, hæque duriſſimæ corporis partes facillimè dinumerari poſſint. Calor in hac febre abludit a reliquis, & omnimodè contrariatur illi, qui in diariis obſervatur. Dum pulſus exploratur, initio calor mitis percipitur, poſtmodum mordicans, & pungens, qui non ſinit citra moleſtiam nos diù digitis circà carpum occupari. Hectica febris ſana corpora non invadit, cum alios ſemper excipiat morbos, cadaverum ſectio ſanè nos docet hac febre laborantes alias ægritudines prius contraxiſſe.

Homines propter plures cauſas in maraſmum incidunt, ob cibi defectum, labefactatam ventriculi actionem, bilis, ſucci pancreatici, aliorumque fermentorum primis viis inexiſtentium inertiam, venarum lactearum, cyſternæ chyli, ductus thoracici obſtructionem, tumores in meſenterio, & potiſſimum in illius glandulis, & adjacentibus viſceribus procreatos, apoſtemata, ſuppurata, præſertim ubi hæc in renibus, utero, veſica, ano, & thorace fiant, ulcera interna illorum viſcerum, per quæ ubertimus ſanguis excutitur. Diaphoreſis, Diabetes, Diarrhœa, & Hemorrhagia, ubi frequentes ſint, nequeunt non emaciationem inducere. Mæror quoquè contrahitur ob nimium coitum, motum, vigiliam, ſtudium, diuturna, & vehementia animi pathemata. Seſta uberiori copia è ſanguine in tracheæ glandulis ſeparata, & eructata in Pulmonum corpus, irritando hoc membranoſum viſcus, tuſſim pariunt, quæ ubi remediorum vim eludat, atrophiam accerſit. Ob contumacem

tuſ-

tuſſim diù concuſſa vaſa ſanguinea Pulmonum adeò debilitantur, ut tandem alicubi recluſa ſanguinem in celluloſas hujus visceris partes effundant, cujus aliqua portio per ſputum excernitur, alia ſæpe ibi ſubſiſtens, contracta puris natura, Tabem procreat, à ſanguinis namque ſputo puris ſputum, à puris ſputo Tabes inquit Hippocrates, quæ ut plurimum ægris vitam adimit, hinc cecinit Poeta

Cervus ut è molli ſanguis Pulmone rejectus
Ad Stygias certo tramite ducit aquas.

Tuſſis ipſa ſuo motu inhibendo vaſorum diſruptorum coalitum, fovet ſanguinis è vaſculis eruptionem. Nunquam ſanè poterit ſanguis intra vaſa recenter agglutinata coerceri, ubi tuſſis ſublata non fuerit. Cauſſa quoque tuſſis, ſalia nimirum, poſſunt cum in vaſis ſanguineis, tum in molli Pulmonum corpore eroſionem parere, à qua Hemoptoe primum, deindè Tabes ſæpè proficiſcitur. Sanguis maraſmi auctor eſt vel propter ſalium exaltationem, vel quia ſit nimis craſſus, & glutinoſus, itaut partium nutriendarum poros ſubire nequeat, vel quia ſit adeo ſubtilis, & energeticus, ut intra illos non poſſit coerceri. Quandoque à Parentibus in filios derivatur quoddam fermentum morboſum, quod latens uſque ad pubertatem, adoleſcentiam, vel alias ætates in maſſa ſanguinea, vel viſceribus, poſtmodum velut è latebra erumpit, ſanguiniquè ſumma acredine conciliata, univerſalem parit emaciationem. Non rarò pueri contabeſcunt à vermibus per matres in filios propagatis juxta plauſibilem doctiſſimi Valliſnerii ſententiam in primis viis naturaliter degentibus, qui ſæpe enormiter multiplicati ob ſuccos ſuæ naturæ congruos ad inteſtina appellentes, pluſimumquè conducentes ad explicationem in animalcula ovorum ab ipſis editorum, humorem puerorum nutritioni à Natura dicatum abſorbent. A nervis quoquè prodibit maraſmus, ubi debita ſpirituum copia non irrigentur, ut ex ſuperius dictis colligi poteſt.

Illa emaciatio, quæ in febre HECTICA laborantibus obſervatur, naſcitur ab inſigni ſanguinis acrimonia, dum enim ſanguis ita affectus perenni circulatione ad partes defertur, acutiſſimis ſalinarum molecularum angulis quicquid ſibi in hoc itinere obvium eſt, ſcindit, attenuat, conteritquè. Quamobrem

 tan-

tantum abeſt quod corpus nutriat, ut potius nutritionem aliæ tempore habitam tollat partium molem imminuendo.

Ut hæc febris curetur emendanda eſt ſanguinis acrimonia. Hujuſmodi correctio obtinetur potius remediis alterantibus quam evacuantibus. Superflua eſt purgatio, ubi totus ſanguis peccat, & qualitatem poſſidet nimis in ipſo radicatam. Huic ſententiæ favet experientia, nam in hac febre quælibet inſignis excretio per ſudorem, urinam, vel ſeceſſum à natura inſtituta ſemper ægris eſt infenſa, cum illorum languidas vires atterat, & ſit colliquationis maſſæ ſanguineæ argumentum, indicat enim fibram illius ita diſſolvi, ut nequeat intra ſe ſerum coercere.

Alterantia ſingulis diebus ſumenda fiant ex lactuca, portulaca, violaria, nymphea, borragine, bugloſſa, hedera terreſtri, conſolidæ utriuſque radicibus, rehade, cichorea, endivia, aliiſque ſimplicibus refrigerantibus, & humectantibus bullitis in jure glutinoſo extremitatum animalium, cui dum bibitur, in doſi congrua pulveres alkalici admiſceantur. Profunt quoque juta, in quibus coctæ ſint carnes cancrorum fluvialium, teſtudinum, nemoroſarum, aut ranarum cum præfatis ſimplicibus. Non omnes tamen ranæ ad uſum medicum revocandæ ſunt, quales autem ſumi debeant indicat præfatus Valliſnerius ad aſtra laudibus extollendus, ob nunquam intermiſſum naturæ ſcrutinium, indeque extractas plurimas notitias, cùm ad illuſtrandam naturalem hiſtoriam, tùm ad morborum curationem valdè proficuas. Paſſulæ in hoc morbo proſunt, cum habeant vim dulcurandi ſanguinem, illiuſquè deficientem conſiſtentiam reparandi; potus quotidianus fieri poteſt ex illarum decoctione, & ipſæ largè quoquè comedantur. Ad paſſularum vires accedit ſaccharum roſatum vetus, quo innumeros ab hoc morbo liberatos eſſe medicæ teſtantur hiſtoriæ. Ego vidi ſæpe valde prodeſſe pulmentum factum ex hordeo, amygdalis dulcibus, & Chinæ radice in pulverem redactis, ac in jure bullitis. Balnea aquæ dulcis alterata ſimplicibus emollientibus à Doctoribus comandantur, quia aqua per poros corpus penetrans ſalinas particulas diſgregat, & diſſolvit, eaſque abſorbendo ad urinæ vias deducit, febrilem ebullitionem imminuit medians inter activas moleculas vitale fluidum plusæquo agitantes, corpuſquè rore ſibi debito carens, con-

tra-

ſtructamque immediat, & explicat. Aer obnoxius vento Aquilonari, vel Auſtrali evitetur ab ejuſmodi ægris, quorum alter cutis poros conſtipando, irritantium particularum numerum auget, alter exuberantia ſalſa in violentum abripiendo motum, corpus plurimùm lædit. Ubì vires corporis adhuc vigeant, lactis uſum non improbo. Inter varias lactis ſpecies, lac humanum principem obtinet locum, cum noſtræ naturæ ſit magis homogeneum. Uſurpandæ quoque ſunt conſervę factę ex floribus indicatorum ſimplicium, quibus ſi addantur pulveres alkalici, & nonnihil opii crudi, majorem vim ad corrigendam ſanguinis acredinem adipiſcentur. Pro cibo adhibeantur animalium, ut vituli, & hędi extremitates, carnes teſtudinum, ranarum, cochlearum, emulſiones amygdalarum dulcium, hordei decorticati, pulmenta cum lacte, & alia, quæ ſuo glutine irretiant ſalia in maſſa ſanguinea luxuriantia. Dormiat æger in magno conclavi, cujus feneſtræ ſingulis diebus aliquot horis apertæ detineantur, quò particulæ irritantes ab ejus corpore egreſſæ ad exteriorem aerem appellant, & ſępe lodices, & induſia, nec non cubiculum mutet.

Plutarchus 8. Sympoſiorum problemate 9. refert ex mente Athenodori Medici HYDROPHOBIAM, & ELEPHANTIASIM morbos novos fuiſſe Aſclepiadis tempore, qui ſub Pompeo Magno Romæ Medicus celebris erat, & opinabatur (ut aliquid de illius placitis attingam) omnes morbos oriri ex ſuppreſſa inſenſibili tranſpiratione: illorum ſiquidem cauſſas, inquit Celſus, collocabat in corpuſculis per inviſibilia foramina meantibus ſi ſubſiſtendo iter interciperent. Hanc opinionem, ſi incidiſſet in Sanctorii ævum, qui triginta annorum experimentis res portentoſas circa tranſpirationem detexit, tenacius amplexus fuiſſet. Mercurialis Medicus eruditiſſimus in lib. 1. variarum Lectionum, & ipſe ſentiens HYDROPHOBIAM morbum novum eſſe, ſic ſcribit – Ex vetuſtioribus Aſclepiade Scriptoribus neminem adhuc inveni, qui hujuſce mali mentionem ullam expreſſam fecerit. Quod ſi manifeſtum fuiſſet, æquum erat ab aliquibus, & ſaltem ab uno Hippocrate nominari, nempe

pe qui in commentariis Epidemicis, & alibi, varia, & propè incredibilia morborum genera recenſuit. Nicander item Colophonius, qui ante Pompei tempora ſub Attalo ejus generis poſtremo Pergami Rege floruit, cùm omnia venena, & lethalia Hominum, ſive ex potu, & cibo, ſive ex morſu, atque impreſſione, exitiabilibus perſecutus; HYDROPHOBIAM tacuerit; par eſt arbitrari non aliunde eam ſilentio prætermiſſe, niſi quia ætate ipſius nondum apparuerat. Neque Cœlii Aureliani auctoritas (ſive ipſe ſit, ſive Soranus ab eo latinus redditus, qui in 3. Acut. de hac paſſione latiſſimè diſſerit) me quidquam movet, quandoquidem ineptè ſatis, ac indoctè ex uno, vel altero Homeri, Menandri, Democriti item, & Hippocratis loco falſo, & extrà rem inducto, Hydrophobiam Veteres authores noviſſe ſeſe probare credit. Accedit quod Ovidius, qui paulo poſt Aſclepiadem vixit, Hydrophobiæ nullum eſſe remedium ſcribens hoc verſu.

Solvere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidatis ulla medetur aquis.

Indicare videtur cum morbum nuperrime apparuiſſe, quippe cujus medicina nondum inventa eſſet. Cùm Ariſtotelis igitur ævo nondum compertum eſſet, hominem morſum à cane rabido ullo morbi, aut ſymptomatum genere, & præſertim aquæ timore vexari, mirari non debemus Philoſophum 8. hiſt. animalium cap. 22. ſcripſiſſe, Hominem inter cætera animalia à cane rabido commorſum neque rabie corripi, neque interire.

HYDROPHOBIA, quæ eſt liquidorum fuga, & metus, non ſolum naſcitur à morſu canis rabidi, verum etiam quorumcumque animalium rabie pereuntium. HYDROPHOBIAM ſiquidem feles, galli, equi, lupi, muli, boves, aliaquè animalia interunt, ubi rabie laborantia Hominem mordeant. Homines ex rabidarum animantium morſu, rabiei fermento imbuti, eorum, à quibus morſum paſſi ſunt, brutorum actiones imitantur exactiſſimè. Quapropter à cane rabido morſi latrant, à bove mugiunt, à lupo ululant, à vulpe ganniunt, ab equo hinniunt &c. Rabiei ſeminium, ſeu fermentum interdum duos, tres, quatuor, octo, decem annos, & ultra in corpore latitat, antequam vim ſuam exerat. Laudanus refert ſe obſervaſſe illud tredecim annos abdi-

abditum in corpore manſiſſe. Muſa Braſavolus ſcribit aliquot extitiſſe, qui decimo ſeptimo anno poſt canis morſum HYDROPHOBIAM paſſi ſunt. Guainerius poſt 18. Alzabaravius poſt 40 annos hunc morbum adveniſſe monumentis mandarunt. Pendet vero hæc diverſitas (inquit doctiſſimus Boerhaave) à calore tempeſtatis anni, à vario gradu morbi in animali mordente, & à tempere Hominis morſi. HYDROPHOBIA, ut Bruta, ita Homines citò trahit ad interitum, ubi enim manifeſtatur paucorum dierum fluxu, patientibus vitam adimit. Citra morſum animalium rabidorum quandoque naſcitur HYDROPHOBIA, à ſpuma ſiquidem illorum recenti, vel jamdudum exſiccata labris, vel lingua excepta, ab exoſculatione rabidi canis mortui, à contrectatione rerum hoc veneno infectarum, eſu lactis, carniſque rabidi animalis, HYDROPHOBIA procreatur, ut legere eſt penès Zacutum Luſitanum, Ettmullerum, Boerhaavium, alioſque. Hinc apparet venenum animalium rabidorum melius propagari, quam venenum viperarum, nam hoc, ſi per os ſumatur, innocuum eſt, dum enim per ambages in ſanguinem deducitur, vim deleteriam exuit, partibuſque ſanis applicatum, vim corpus penetrandi non habet.

C. Quænam ſunt notæ an animalia, quæ momorderint Homines, & præſertim canes, rabiem paterentur? Quid in Homine, dum Hydrophobia laborat, contingit? Et demum quænam præſidia ad hunc morbum curandum adhiberi debent?

M. Doctores, ut cognoſcant an per morſum pars vulnerata rabiei fermento imbuta ſit, nuces juglandes contritas vulneri imponunt (poteſt etiam medulla panis adhiberi) quas, ubi aliquot horas ibi manſerint, amovent, animalibuſquè domi detentis, felibus puta, gallinis &c. apponunt, quibus deglutitis, ſi canis rabidus non fuerit, in illis nulla fit læſio, ſi ſecus, poſtero die moriuntur. Alii ſanguinem è vulnere eductum cum farina miſcentes paſtam efficiunt, quæ à gallina devorata, ſi mortem infert, eſt animalis rabidi argumentum.

1. Canes rabidi dignoſci facilimè poſſunt, ſi namque ſunt macilenti, linguam ab ore exertam detinent, è naribus materiam mucoſam, viſcidamquè, ab ore ſalivam eructant, torvè aſpiciunt, igneos habent oculos, magnoque rubore perfuſos,

no-

notos, ignotoſquè adoriuntur, & lædant, caudam demiſſam ſub ventre reflexam geſtant, velociter currunt, & in hoc pernici motu in obvia quæcunque impingunt, à cibo, potuquè prorſus abſtinent, horum commercium alii canes averſantur.

Homines rabie vexati primùm anxii ſunt, & iracundi citra cauſſam manifeſtam, corporis torpore, & ineptitudine ad obeundas actiones laborant, ambientem aerem criminantur, ſunt ſolitarii, ſemper murmurant, & ut plurimum tenebras appetunt. Confirmata rabies ſe prodit convulſiva membrorum explicatione, faciei rubore, deformi aſpectu, anxietatibus, ac ſudoribus. In hoc omnes rabidi conveniunt, quod, & ſi gravi ſiti torqueantur, nequeant tamen liquidorum intuitum ſuſtinere citra inquietudinem, & quandoque etiam convulſionem: miſerrimum, inquit Celſus, genus morbi, in quo ſimul æger & ſiti, & aquæ metu cruciatur. Quocirca, niſi violentius adigantur, dum hoc morbo detinentur, ſemper à potu abſtinent. Qui à morſu rabidi canis Hydrophobiam contraxit, latrat, ringit, adſtantes, ubi ſibi non caveant, adoritur, mordetque, & eadem quandoquè cum canibus odoratûs ſagacitate donatur, ita ut amicos è longinquo accedentes, nondum tamen ita proximos, ut viſu attingi poſſent, ſolo odore effluviorum ab ipſis emanatorum, naribuſquè cum aere attractorum, exactè quidam cognoſceret, & adſtantibus hunc, vel illum amicum quam primum adfuturum eſſe indicaret, id tradente Petro Borello cent. 3. obſervat. 68. Qui verò feli rabiem refert acceptam, unguibus obvios lacerare nititur.

Ut accedamus ad difficilimam Hydrophobiæ curationem, videndum eſt quid praxis medica doceat. Vana pro hoc morbo tollendo à Medicis adhibentur præſidia, quorum tamen vires morbi infringit vehementia, nullum ſiquidem proficuum experiuntur. Ad hujuſmodi malum profligandum fruſtra uſurpantur gentiana, ſcordium, centaurium minus, ariſtolochiæ, vincetoxici, & cynorrhodi radices, cinis, & decoctio cancrorum fluviatilium, Scribonii Largi opiata, pellis Hyenæ, aliaquè à Doctoribus propoſita antidota. Remedium Celſi in uſum ab Helmontio, aliiſquè Recentioribus revocatum, inane eſt. Idcircò nonnulli volunt in ſeminio corpori communicato aſtutum mor-

morbum extinguendum eſſe, illius verò medellam omittendam eſſe, ubi venenum longam in viſceribus traxit moram, & potiſſimum ubi iis, deque corpus vertere cœpit. Cum praxis medicos non deſerat, in Eudenatis effectus ab hoc veneno prodeuntes intueamur, ut inde aliquod lumen procuratione ritè inſtituenda arripere poſſimus. Phænomena in cadaverum diſſectione obvia ſunt hæc: pharyngis inflammatio, gluten biliosum ſtomacho inhærens, cyſtis fellea atra bile repleta, pericardium ſero prorſus deſtitutum, cor cum adnexis arteriis exſucco ſanguine plenum, venæ cruore vacuæ, pulmones ab uberrimi ſanguinis ſtagnatione enormiter turgidi, omnes muſculi, viſcera, cerebrum, cerebellum, & ſpinalis medulla inſigniter arentia. Innoteſcit igitur liquida, quæ ægri ſic averſantur, & ad quorum intuitum ſæpe graviſſimis corripiuntur convulſionibus, opem afferre debere, cum omnes partes in Hydrophobia humectatione egeant. Ulterius moleculararum veneni vis deleteria per aquæ miſcellam enervabitur, ac vitale fluidum, admixta lympha, debitum ſibi nactum vehiculum amplius in ſuo fonte, & inde derivatis tubulis non ſtagnabit, irritationes ipſæ in vaſis anguſtias procreantes tollentur. Portentoſum ſanè eſt in hac ægritudine liquidorum odium, cum natura non ſoleat odiſſe, at appetere ea, quæ ſuæ conſervationi congruunt. Quot deploratos ægros prudentes Medici è mortis faucibus extraxerunt iis, potionibus, & cibariis non denegatis, in quæ maximo ardore ferebantur? Bruta ægrotantia naturæ inſtinctu moventur ad veſcendum quibuſdam herbis, quibus eſis ſanitatem recuperant. Ut aliis inflammationibus phlebotomia multoties repetita prodeſt, itaque in hoc morbo inflammatorio ſæpè præſcribenda eſt. Clyſteres emollientes ſubinde fiant, aqua calida ægri corpus ſæpiſſimè foveatur. Immerſio Hydrophobi in aquam frigidam à Doctoribus propoſita mihi valde ſuſpecta eſt: ſuppreſſa ſiquidem, hac ratione, inſenſibili tranſpiratione irritantes veneni particulæ intus coacervantur, calorque in corporis centro adauctus ulteriorem pariet exſiccationem. Cavendum quoque à pharmacis calefacientibus, & exſiccantibus, ne oleum igni addatur. Victus ſit tenuiſſimus, & humectans.

Ubi ſtatim à morſu (ut de curatione prophylactica verba facia-

eamus) è loco vulneris plurimum ſanguinis eductum fuerit, & congrua vulneri adhibita, perquè os remedia ſumpta fuerint, arceri poteſt Hydrophobia. Si vero ab imperito Chirurgo, omiſſa è parte vulnerata cruoris extractione, citò conſolidetur ulcus, difficilimum eſt hunc morbum evitare. Hujus morbi curatio ita inſtitui debet. E vulnerata parte cucurbitulâ virus extrahendum eſt, deinde, ſi locus neque nervoſus, neque muſculoſus ſit, ex mente Celſi, id adurendum eſt, poſtmodum applicanda, quæ ſolent in combuſtionibus adhiberi. Si verò pars vulnerata ob ſuam naturam uſtionem non patiatur, dilatandum ulcus eſt, parſque valdè comprimenda, quò veneni reliquiæ (difficilimum enim eſt totum ſeminium morboſum cucurbitulâ educere) foras prodire poſſint. Hac de cauſſa remedia exedentia proficua erunt. Dilatato vulnere, eductoquè per vias patulas veneno, ad ſarcotica confugiendum eſt. Nonnulli, hiſce omnibus prætermiſſis, cataplaſma ex allio, ruta, & ſale ſimul contuſis vulneratæ parti ſuperimponunt. Hiſce præſtitis, utatur æger ſæpiſſimè calido balneo, bibatquè larga copia pluribus diebus aquam Villenſem, vel Nocerianam, nam quemadmodum hæ aquæ minerales multorum morborum radices abſorbent, ita Hydrophobiæ ſemen imbibere poterunt, illudque per lotium è corpore educere.

ELEPHANTHIASIS eſt morbus, qui ſic nuncupatur, quia Hominum hoc morbo laborantium cutim ſimilem Elephantum corio reddit. Idcircò, ut hoc ſcabrum, rugoſum, tuberculoſum, & inæquale eſt, ita ſimilimis affectionibus prædita eſt cutis illorum, qui præfatum malum contraxerunt. Sanè ejuſmodi ægri exterius corpus habent tuberculis ſquamoſis albo-liveſcentibus, vel rubris, ſed atri coloris exaſperatum, quos dum ſcalpunt, ſquammæ decidunt, & liquor ſæpe tenuis exſudat, qui tamen paullo poſt exſiccatus in ſquammam concreſcit. Puſtulis in variis corporis partibus erumpentibus novæ undique adjunguntur, ac brevi magna protuberantiarum aggeries procreatur. Præfati tuberculi in facie quoque gignuntur, & præcipuè in fronte, quæ tumore quodam laxata ad inſtar pellis ſic-

xilis

xilis ſuperciliorum Leonis, in cauſſa eſt, ut iſte morbus LEONTIASIS etiam dicatur. In ELEPHANTHIASI aures acuminatæ fiunt, naſus ſimus, labia craſſa, malæ cum rubore ſubobſcuro attolluntur, muſculis maxillaribus veluti convulſis, ac proinde ejuſmodi ægri deformes Satyros referunt.

Patiuntur ELEPHANTIACI totius corporis ſegnitiem, difficilem reſpirationem, adſtrictionem alvi, crebros flatus, animi mœrorem, capillorum defluvium, tranſpirationemquè adeo fœtidum habent, ut vel ipſis ægris infenſus ſit, illorumque conſuetudinem ſani Homines averſentur. Inquinatus aer pernicioſis effluviis cum ab ulceribus, tùm è pectore per expitationem, ac è toto corporis ambitu egreſſis, dum inſpiratione in pectoris penetralia recipitur, patulaſquè ſubit nares, adſtantes inſigniter lędit. Morbo ingraveſcente, in nonnullis cutis primum ſtupida evadit, poſtmodum ſenſus in ea aboletur, ita ut ferrum patiatur, & ignem citrà dolorem, acido adeò potenti ad cutim propulſo, ut illius nervi conſtipati eam ſpirituum copiam recipere nequeant, quę ad ſenſum requiritur. In hoc morbo veneris ippetitus inexplebilis eſt. Hinc elephantiacæ mulieres veneri ſemper inhiantes, Meſſalinæ ad inſtar, laſſantur, non ſatiantur viris. Viri ipſi in hoc quoque Satyros emulantes, quos libidinoſiſſimos eſſe ſcripſerunt veteres, ſemper in venerem proni ſunt, & nunquam per iteratum, atque iteratum coitum coeundi libidinem tollere queunt. Quod tamen mirum eſſe non debet, nam ubi adeſt ſumma ſalium luxuries (ut in hoc morbo) ibi nequit non haberi magna ad coitum propenſio, nam ſalia ad hujuſmodi opus apprimè diſponunt. Obſervat Plutarchus naves onuſtas ſale uberrimis ſcatere muribus, quia ſalem lambendo mures ſalaciſſimi evadunt. Cibaria ſale abundantia ad luctam veneream diſponunt. Homines graciles, in quibus ſal luxuriat, pinguibus ſalaciores ſunt, indè ipſum ſalacitatis vocabulum profectum eſt, quo veteres libidinem ſignificarunt, finxeruntque Poetæ Venerem voluptatum Deam è maris ſalſedine procreatam eſſe.

C. Originis Elephantiaſis à Plutarcho ſuperius adductæ acquieſcere nequeo M. Elephantiaſis, & ſcabies inter ſe ſecundum magis, & minus differunt, ac proinde ſunt ejuſdem ſpeciei: nam

ma-

magis, & minus non inducunt differentiam ſpecificam. Cum ergo origo ſcabiei adeo vetus ſit, ut quando cœperit, ſtatui nequeat, idem dicendum eſt de Elephantiaſi. Ut etiam ſpecie differret à ſcabie, morbuſque novus eſſet, adhuc tamen altiorem habet originem, quia longe ante Aſclepiadis tempora morbus iſte vigebat.

M. Magnopere inter ſe Elephantiaſis, & ſcabies differunt, ut exactè perpendenti utriuſque affectiones eſt apertiſſimum, ac proinde in quacumque ſchola hi duo morbi ſpecie differunt. Etſi etiam ſolum ſecundum magis, & minus diſcriminarentur; adhuc tamen poſſent differre ſpecie, cum verum non ſit differentiam ſecundum magis, & minus aliquando non parere differentiam ſpecificam. Nonne igniculi quaqua verſus à flamma ejaculati, ad Malpighianum ſenſorium, ſeu papillas nerveas cutis appellentes cum majori, vel minori ſuorum corpuſculorum copia, modo calorem, modo combuſtionem procreant, quæ duo ſpecie differunt? Lux ab objectis ad oculi retinam reflexa cum majori, vel minori radiorum collectione, cum majori, vel minori impulſu omnes gignit, penes Recentiores, colorum differentias? Circa poſtea originem Elephantiaſis, & ipſe cum Mercuriali ſentio ante Aſclepiadis tempora extra Italiam viſam fuiſſe. In Italia tamen tunc temporis ſolum apparuit, ut ſentiunt Plinius, & præfatus Mercurialis. In hac regione olim non extitiſſe indicat Fracaſtorius hiſce carminibus.

Sic Elephas Sacer Auſoniis incognitus oris,
Sic Lichen latuere diu, quibus Accola Nili
Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.

In hoc morbo, in quo Medicus acerrimè pugnare debet contra ſalium acidorum exaltationem, præmiſſa cathartico, ut veratro nigro, alvi ſolutione, præſcribendi ſunt ſyrupi facti ex ſimplicibus amaris, & alkalicis, deindè tranſeundum ad decocta ſarſæ parillæ, guajaci, ad aquam ſtibiatam Pomponatii, ad chalybeata quoque, ſed præcipuè ad Viperas, quæ in gravioribus cutaneis affectibus utramque paginam implent. De viperarum eſu in hoc morbo ſic loquitur Aetius Medicus antiquiſſimus – mirabile Elephantiaſis remedium viperarum eſus extitit, eas hoc modo apparatas edere oportet. Primum quidem amputato capite, &

cau-

cauda; & detracta pelle, exemptiſque viſceribus interioribus omnibus, caro pura bis, aut ter lota in olla inſtar anguillarum coquatur, aqua quidem ſufficienter affuſa, & oleo modico cum anetho, & porro. Poſt ſufficientem deinde cocturam juſculum moderato ſale condiatur, atque ita ægro in Sole ſedenti exhibeatur, capite tamen probe velato. Neque vero ſemel tantum, aut bis viperas edere fas eſt, ſed ſæpe id fiat, quum extra periculum ſit, & inſuper commoditatem afferat. Sint autem viperæ recens captæ, & ex humidioribus locis accipiantur. Hæc Aetii verba eo conſilio adduxi, ut innoteſcat viperarum uſum, qui nunc penes Recentiores plurimum viget, in medicina vetuſtiſſimum eſſe. Cæterum parum intereſt in aprico an in umbra viperæ comedantur, & recens captæ ſint, Viperæ montanæ in locis ſiccis degentes reliquis præferendæ ſunt. Dum comeduntur viperæ, ſpina abjicienda non eſt, ſed probè contuſa, & ipſa ingurgitetur, cum per Recentiorum experimenta conſtet eam ubertimis partibus volatilibus ditatam eſſe. Utatur æger valida exercitatione, & præcipuè curſu juxta Celſi conſilium. Balnea frequentia ſunt valde proficua, in quibus ebullierint ſimplicia pluximo alkali ditata. Monumentis mandatum eſt Ægyptios Reges Elephantiaſi captos ſanguine humano in balneorum veſtibulis fuſo magna populi cæde curari ſolitos. Hoc (inquit Mercurialis) ut non multum veriſimile, ſic ferunt remedii habuiſſe ſpeciem opinot.

Cum obſervatione ab Archigene profecta, & plurimis confirmata ſæculis, conſtet enuchos Elephantiaſi non laborare, nonnulli audaciores Medici, cæteris remediis incaſſum adhibitis, teſticulorum abſciſſione ſecundum regulas artis inſtituta, multos ab Elephantiaſi liberatunt. Sanitas hac ratione comparata plurimi valet: ego ſanè eam tanti non emerem, ac proinde ejuſmodi remedium nunquam alii præſcribam. Si quis tamen præcipuè ad tollendam inexplebilem coeundi libidinem in hoc morbo vigentem, pateretur ſe evirari, finis laudabilis hanc operationem, utcunque, cohoneſtaret: dixi utcunque, cum ignorem utrum, vèl hac de cauſſa hoc remedium à nobis adhiberi poſſit, nemo ſiquidem eſt dominus membrorum ſuorum, vixque fortis poteſt validiſſimo ſtimulo venereo obſiſtere.

C. Non video M. qui teſtium amputatio Elephantiaſi mederi queat.

M. Ego obſervo Spadones valdè pingueſcere, hocque etiam in Brutis teſtibus mutilatis contingit. Quod cum ita ſit, inſero è ſemine in teſtibus elaborato quaſdam partes volatiles ſeparari, quæ deductæ in maſſam cruentariam, adaugendo fermentationem illius, deſtruant plurimas particulas oleoſas à variis locis, ſed ab Omento præcipuè, affuſas ſanguini, quæ peculiaribus ſalibus junctæ pinguedinem procreaſſent. Pinguedo ſanè ex particulis oleoſis, & ſalinis coaleſcit, ut conſtat ex pinguedinis artificialis ſyntheſi, & etiam ex naturalis analyſi ab Havers, Ettmullero, aliiſque, inſtitutis. Quare cum in caſtratis hoc principium energeticum ad cruorem non appellat, particulæ oleoſæ a præfato fonte ſanguini ſuppeditatæ, ibi remanentes, moleculiſquè ſalinis junctæ in pinguedinem abibunt ligantem illas particulas pravæ indolis, quæ, dum ad cutim impelluntur, Elephantiaſim fovent. Quamobrem, cum per exteriora remedia validè infringatur hujus morbi cauſa, nequeatque amplius eadem pro ſui conſervatione opem à ſanguine mutuari, tandem fluxu temporis extinguetur, ſicque profligabitur Elephantiaſis.

C. Si hæc doctrina ſubſiſteret, integer Homo non pingueſceret, quod tamen eſt contra autopſiam, cum multi Homines inſtructi teſtibus pingues evadant.

M. Ut plurimum pingues Homines in venerem proni non ſunt, ut ex nuperrimè dictis colligi poteſt magno ſane argumento in illis ſemen effœtum eſſe, à quo proinde non extrahentur volatiles particulæ pro ſubactione, & deſtructione plurium partium olei ſanguini inexiſtentis.

Cum æger ab Elephantiaſi liberatus eſt, ne in eundem relabatur morbum, oleoſa quoquè ſubinde ad liganda ſalia, quæ paulatim in maſſa ſanguinea exaltantur, uſurpantur. Suſpicatur vir celeberrimus Joannes Fantonius pruritum illum, quo maximè cruciatur Elephas, ſtimulaturque ad affrictum, & cruſtaceam materiam corium exaſperantem ab adipis defectu prodire, probatquè hanc ſuam ſuſpicionem hiſce verbis — Illuſtris Rayus in Anatomia, quam de hoc bruto celebravit, pinguedinem nullam in eo repertam eſſe meminit, nec in ipſa ſub cute adipoſa mem-

bra-

brana, nec in regione corporis interiore nobis equidem, & vulgo notiſſimum eſt, ſcabiem ſulphure, atque oleoſis plurimum lenıri, & interdum deleri.

RIGOREM ſine febre novum, & peregrinum ſymptoma eſſe ſcribit Galenus ob invectam victus rationem valdè abludentem ab illa, quam majores natu uſurpabant. Recentiores verò, qui febres frigidas dari ſentiunt, ac proinde explodunt definitiones febris à Galeno, Avicenna, aliiſquè veteribus propoſitas, ex quibus colligitur illos opinatos fuiſſe calorem eſſe (ut cum ſcholis loquar) de febris eſſentia, ac proinde fieri non poſſe, ut febris à calore ſejungatur, eos Galeni rigores præcipuè diù protractos febres appellaſſent datur ſiquidem penes illos duplex febrium genus, quorum alterum febres frigidas, calidas alterum complectitur. Inter febres frigidas collocant Algidas, Epiales, Caſtrenſes, & alias, de quibus præcipuè conſulendi ſunt Helmontius, Piens, Bartholinus, ac Etmullerus. Definitio, quę comprehendas ſub ſe hæc duo toto Cęlo diverſa febrium genera inventu difficilis eſt. Poſſet utcunque dici febrem eſſe indebitam ſanguinis fermentationem, celeritati pulſus adnexam, ratione cujus inſigniter alteratur animalium œconomia. Indebita ſanguinis fermentatio importat tam incrementum, quam decrementum inſigne motus inteſtini ſanguinis. Ubi noſter ſanguis plus debito fermenteſcit, fiunt febres cum calore, cum frigore verò minorata valdè cruoris agitatione non caſu dicitur ly ſanguis noſter, poſſunt inſignes fermentationes calorem, vel frigus augere pro deverſitate fluidi fermenteſcentis. Si corpus fermenteſcens uberrimis partibus nitroſis vinctis ſcateat, hę per fermentationem factæ ſui juris magnum frigus pariunt. Si verò in illo multæ particulæ ſulphureæ captivatæ ſint, hæ à fermentatione libertatem nactæ calorem augebunt. Modò humanus ſanguis magno ſulphure ditatur, ſi enim ejuſmodi cruor exſiccatus projiciatur in ignem, flammam concipit, ac proinde illæ moleculæ naturæ lima vegetius motæ, & è vinculis expeditæ impingentes in corporis nervos, animæ magnum calorem percipiendi occaſionem præbebunt. Ubi huic indebitæ ſanguinis fermenta-

E 2 tioni

noni celeritas pulſus non copuletur, hæc febris vocari non poterit, cum celeritas pulſus juxta commune Medicorum votum, ſit ſignum pathognomonicum febris, dummodò ab aliqua cauſa externa non proficiſcatur.

Pro medella harum febrium frigidarum, in quibus luxuriat acidum, conſulendus eſt Ettmullerus, qui egregiam illarum curationem, ut mihi pluribus conſtat experimentis, proponit.

Dantur alii morbi novi, ut BRUNNUS GALLICUS, MORBUS LUNEMBURGICUS, VAREN, BEROZAIL, quos Servius in ſuis medicis Inſtitutionibus refert exactè ab eruditiſſimo Beverovicio deſcribi in ſua eleganti, conciſa, & docta idea Medicinæ Veterum; mei conatus ad hunc Authorem inveniendum irriti fuerunt. Huic de morbis novis confabulationi finem imponat Celſus hiſce verbis ex lib. 1. Rei Medicæ depromptis — Ratius, ſed aliquando tamen, morbus ipſe novus eſt, quem non incidere manifeſte falſum eſt: cum ætate noſtra quædam ex naturalibus partibus carne prolapſa, & arente intra paucas horas expiraverit, ſic ut nobiliſſimi Medici neque genus mali, neque remedium invenerint. Quos ego nihil inde tentaſſe judico, quia nemo in ſplendida perſona periclitari conjecturâ voluerit, ne occidiſſe, niſi ſervaſſet, videretur. Veri tamen ſimile eſt potuiſſe aliquid cogitare, detracta tali verecundia, & fortaſſe reſponſurum fuiſſe id, quod aliquis eſſet expertus.

Quamobrem, ut IMPETIGO, LUES VENEREA, RACHITIS, SUDOR ANGLICUS, MORBUS HUNGARICUS, VERVICINUS, PLICA POLONICA, SCORBUTUS, HYDROPHOBIA, ELEPHANTIASIS, aliique morbi deſcripti novi fuerunt, ita ejuſdem claſſis extiterunt Variolæ. Quamvis Homines eâdem natura præditi ſint, ſub eodem naſcantur Cœlo, ſub iiſdem educentur ſideribus, hoc profectò non tollit quin novi morbi ſubinde illos invadant, cum aliquod principium morboſum, quod nunquam noſtram viderat atmoſphæram, poſſit, per indicandas inferius cauſſas, è terræ viſceribus erumpere, & aeri, quem inſpiramus, admiſceri.

C. Hanc primam diem albo lapillo ſignare debeo, cum è mea mente M. craſſam plurium rerum ignorantiam eliminaveris. Profectò hodiernus cum doctis Viris congreſſus ſemper

pro-

proficuus eſt, cum iſti adhęrentes Senecæ ſic ſcribenti – Si cum hac conditione detur ſapientia, ut illam incluſam teneam, nec enunciem, rejicio, quacunque hora promi ſint ad ſuæ doctrinæ theſauros effundendos, dummodò adſit, qui bonam indolem nactus ſapiens fieri velit. Recentiores Philoſophi Veteres non emulantur omnia cimeriis obtegentes tenebris. Ariſtoteles, vir acutiſſimi ingenii, Platonis ſcholam viginti annos frequentavit, quia Magiſter doctrinas myſteriis involvendo, captu difficilimas reddebat. Diſcipulus, & ipſe Præceptorem imitatus opera OEdipo indigentia evulgavit. Hinc viri doctiſſimi Hermolaus Barbarus nobilis Venetus, & Georgius Placentinus Dæmonem conſuluerunt, ut ſibi nomen actus ab Ariſtotele in definitione Animæ adhibitum explicaret, quod ipſi proprio marte intelligere non poterant. Hac ſemita ferè omnes Veteres inceſſerunt. Ægyptiorum templis præfixæ Sphinges admonebant myſtica dogmata ænigmatum nodis occultanda eſſe.

M. Id, quod in primo congreſſu dictum eſt, plurimi facere non debes, cum parum ratiocinii complectatur: ferè totum ſiquidem circa hiſtorias Medicas verſatur. Ubi die craſtina, qua diſcutienda ſunt Doctorum placita circa Variolarum cauſſam, huc conveniemus, plura, in quibus ratiocinandi vis eluceſcit, percipies. Interim hinc diſcedamus. Sed heu ſtupor ex diuturna ſeſſione contractus, mihi difficilem pedum uſum reddidit, quos tamen expeditos eſſe conduceret, ne ſpatium hanc humaniſſimam arborem, domumque, quam adire debemus, interjacens, acribus modo Solis radiis expoſitum, nos moleſtiâ afficeret.

C. Ergo uterque noſtrum pedum morbo laborat. Tuus citò M. evaneſcet, adhibitis præſertim frictionibus, quibus nervarum tubuli patuli redduntur, ſanguinique motus conciliatur. Meus verò, qui altiores egit radices, diù vigebit. Viros literarum, qui (ut ait Marſilius Ficinus) quantùm mente, & cerebro negotioſi ſunt, tantùm ſunt corpore otioſi, vita ſedentaria plurimis morbis reddit obnoxios.

CONGRESSUS ALTER.

Marcellus, & Camillus.

M. Quid hoc rei eſt?

——— Jam clarum mane feneſtras
Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.

Tu vero nondum evigilas? cui propoſitum eſt animum diſciplinis imbuere, lucem antevertat oportet. Pythagoras ſiquidem ſentit Viros literarum animal philoſophicum, gallum videlicet domi alere debere, qui cantu imminentem Solis ortum indicans, admoneat tempus excolendæ mentis adeſſe. Aurora gratiſſima Muſis, ſpiritus tunc depurati perfectius mentis operibus famulantur; animus ipſe nocturna quiete ſedatus, artificum rumoribus, amicorum acceſſu, colloquiiſque, ac ſervorum domi degentium miniſteriis, à meditatione non avocatus res clarius intuetur.

C. Utplurimum ego paullo ante Solis ortum (prius me vigilem fieri temperies humida, quam nactus ſum, non ſinit) è ſtrato exilio. Non me latet diu hic decumbentem ſegnitiem contrahere corporis, animíque vires labefactantem. Verum producta in multum hujuſce noctis lucubratio me diluculò evigilare non permiſit.

M. Heu me miſerum, hodiè profectò tuorum argumentorum Cleantis lucernam redolentium vim eludere non potero, præſertim cum quæ dicturus ſum, ad rationis trutinam revocare non potuerim; accerſitus namque fui ad inviſendum ægrum duobus milliaribus hinc diſſitum, præſtitumque officium mihi tempus in ſtudio impendendum eripuit. Nolo tamen hodiernum philoſophicum congreſſum in craſtinam differre diem, notitus alio tempore partis utar. Interim tu, excuſſo torpore, citò veſtes indue, ut quam primum poſſimus ſub heſternа arbore conſidere.

C. Ego veſtibus indutus M. te præeuntem imbecillo ſequor greſſu.

M. Hoc

M. Hoc iter adeo breve eſt, ut vix inchoatum ſtatum abſolutum ſit; en nos ad locum, ubi philoſophandum eſt, deductos. Noſtram igitur de Variolarum cauſſa diſcuſſionem inſtituamus.

Quò Variolarum ſeminium detegamus, Græcorum libros adire non expedit, cum hujus morbi non meminerint, ut conſtat ex ſuperius dictis, ſed Arabes Doctores conſulendi ſunt, qui malum iſtud primi deſcripſerunt, illiuſquè cauſſas, & remedia propoſuerunt, poſtmodum perpendenda ſunt poſteriorum Authorum placita. Primus inter Arabes Avicenna, qui floruit circa medietatem duodecimi ſeculi, Variolarum meminit, Illius igitur ævo, vel paulo ante, morbus hic in naturam invectus eſt. Si Variolæ jam dudum penes Arabes viguiſſent, contagione ad alias regiones profectæ fuiſſent, ut factum eſt, dum Europæ, imo cum Indis Occidentalibus commercio, illis nunquam antea Variolis vexatis, hunc morbum impertiti ſunt. Sanè Arabes pacato animo intra ſuos limites ſemper non vixerunt, ſed & ipſi, aliorum populorum ad inſtar, libidine ampliandi dominatum accenſi, arma circumtulerunt. Sæculo octavo Africam aggreſſi ſunt, Hiſpaniam, aliaſque Europæ partes invaſerunt. Romani, qui bello per totum ferè terrarum orbem graſſati fuerunt, ſub Trajani imperio Arabiam penetrarunt, illiquè multas intulerunt clades. Septimius Severus, & ipſe Arabes adortus eos ſubegit, obquè eorum attritam potentiam, Arabici cognomen adeptus eſt. Alexander Magnus, qui Jovem generis ſui Authorem, aut credebat eſſe, aut credi volebat (ut cum Q. Curtio loquar) Jovis Ammonis oraculum conſulturus per Arabiam exercitum traduxit. Longe ante Alexandrum, Judæi, Aſſyrii, Ægyptii, Æthiopes frequentiſſimè Arabiam adibant, & Arabiæ incolæ ad hos accedebant, vigente inter Arabes, præfatoſquè populos commercio. Quare, ſi tunc temporis Arabes Variolarum morbum paſſi fuiſſent, vides quot nationes hic affectus cutaneus ante Avicennæ ſæculum irrepſiſſet.

Arabes Doctores, quibus innumeri Medici adhærent, opinantur Variolarum cauſſam eſſe ſanguinem menſtruum, quo nutritur fœtus in utero. Cum iſte ſanguis, juxta ipſos, valde impu-

 rus

rus ſit, ab eo Variolarum originem petunt. Nulla cauſſa, præter hanc omnibus Hominibus communem, reperiri poteſt, inquiunt illi, cui Variolarum ortus tribui queat. Non arridet mihi præfatorum Doctorum ſententia. Si Variolæ à ſanguine menſtruo ad uterum deducto pro nutritione fetus procrearentur, Homines ab initio Mundi, uſque ad præſentia ſæcula debuiſſent eſſe Variolarum morbo obnoxii, quod tamen factum non eſt.

C. Ego in præſenti Arabum Scholæ addictus, acerrimè, velut pro aris, & focis pugnaturus, illorum opinionem defendam. Ante Diluvium Homines incolumes vixerant plurima ſæcula, mille videlicet ſexcentum quinquaginta ſex annos, quia ob aeris ſalubritatem, cibaria, & potulenta, quibus utebantur ad ſuſtentandam vitam, excrementis non ſcatebant, cum eſſent perfectiſſima, ex illis ergo chylus optimæ indolis elaboratus in laudabilem ſanguinem immutabatur. A Diluvio verò abbreviata eſt Hominum vita, & reddita innumeris morbis obnoxia, quia aqua ob diuturnam in terræ ſuperficie ſtagnationem (manſit enim ibi antequam minueretur centum quinquaginta dies) vitium contraxit auctum à corruptela omnium animalium in terris, & aquis degentium (illis exceptis, quæ in Arca Noe incluſa fuerant) nec non ab innumerabilibus plantis putrefactis: quod aquæ vitium terram, ſuperſtites plantas, & aerem inquinans ad bruta quoque, & Homines ab Arca egreſſos progreſſum eſt, cum hæc viventia nequirent ſine reſpiratione ſubſiſtere, pabuloquè ad conſervandam vitam indigerent ab aqua, plantiſquè deſumpto.

M. Rationes adductæ utcumque probant à principio Mundi uſque ad Diluvium non debuiſſe in cunctis Hominibus dari ſanguinem impurum, ac proinde, nec in omnibus Hominibus Variolas procreari, petita hujus morbi ſolum ab impuritate ſanguinis origine: verum non tollunt, quin aliqui Homines in illum morbum non inciderint. Bonitas aquæ, aeris, & cibariorum quandoquè adnectitur ſanguinis inquinamento, poteſt ſiquidem ſanguis impurus generari, ſi quis e. g. crapulæ indulgens plus cibi, & potulentorum, ceteroquin bonæ indolis, ingerat, quam ſtomachus digerere poſſit, tunc enim chylus ſemi-

co-

onctus, & minus fermenteſcibilis deductus in ſanguinem, nequit illi fieri homogeneus, hinc Cachexiæ, ſeu impuritatis maſſæ ſanguineæ origo. Sanguinis vitium poteſt quoque à motu adaucto, vel imminuto, ab immoderato coitu, ab animi pathematibus, aliiſquè cauſſis proficiſci, quas ſanè errorem indicatis rebus non naturalibus (ut Medicorum vocabulis utar) Homines ante, & poſt Diluvium patraverunt. Cainus videns ſacrificia fratris magis quam ſua Deo arridere, in iram exardens Abelem in agro ſeductum interfecit. Noë qui plantavit vineam, illius vino inebriatus, partibus virilibus denudatis, quibuſdam ex ſuis filiis irriſioni fuit. Pentapolis nullum libidinis genus intentatum relinquens ſic Deum irritavit, ut illum pœnituerit feciſſe Hominem, perfidamquè gentem incendio deleverit. Ulterius ſtatim, vel paullo poſt Diluvium, & ſubſequentibus temporibus, Variolæ debuiſſent Homines invadere, quod tamen ex hiſtoriarum monumentis nequit hauriri. Hoc ratiocinio Arabum defenſio corruit, quæ ulterius infirmatur, adnotando ſanguinem, quo nutritur fœtus in utero, impurum non eſſe, ac proindè perperam illi Variolarum geneſim attribui.

C. Ubi ſolidè probaveris hanc opinionem à ſenſu communi abhorrentem, te ingenio aliis Doctoribus antecellere percipiam.

M. Tuam mentem à quacunque re omninò avocatam ad meum ſermonem converte. In fœminis generationi aptis plus ſanguinis procreatur, quam requiritur pro illarum nutritione, ut habeant materiam, qua poſſint fœtum alere, ubi per viri congreſſum gravidæ redditæ ſint. Quamobrem ſanguis ſuperfluus mulieri, neceſſarius fœtui, tranſmittitur ad uterum, ſi adeſt ibi fœtus, in illius alimoniam impenditur, ſin minus, aliquandiù in utero ſtagnat, donec intra fermentatione, ſibi viam recludat quæ egreſſus paulatim fit, ſpatio quarumdam dierum, plus minus, pro diverſa fœminarum temperie, varioquè ſex rerum, non naturalium uſu, profluitquè hujuſmodi ſanguis ex uteri fundo, ut conſtat ex obſervationibus Doctiſſimi Joannis Baptiſtæ Morgagni, cujus Adverſaria Anatomica nunquam conſulo, quin inde ſemper aliquid traham emolumenti. Porrò ex mora in utero mulieris ſanguis aliquod vitium contrahit, quod tamen non eſt adeo inſigne, ut Veteres tradiderunt. Quando verò

haud

haud ſtagnat, eſt prorſus illius indolis, cujus eſt reliquus, qui in vaſis mulieris continetur. Eſt inveriſimile naturam velle tenellum fętum, cujus partium ſymmetria facilimè turbari poteſt, venefico penè ſucco nutrire.

C. Hæc tua ſententia multas magni momenti patitur difficultates, quas ſigillatim proponam. Subſiſtente adducta de cauſſa menſtruationis Doctrina, non ſolum in humano genere, verum etiam in omnibus aliis animalium ſpeciebus, fęminę debuiſſent menſtrua pati, cum ubique vigeat ratio nutriendi fętum, quod tamen obſervationi adverſatur, nam, excluſis Simiis, nullum animal, præter Hominem, menſtruis obnoxium eſt. Dicendum eſt potius cum Galeno mulieribus menſtrua provenire, quia, cum domi agant, nec vehementioribus laboribus exerceantur, in iis fit plurium excrementorum ageries, quæ natura ſingulis menſibus, tempore pubertatis, incipit è corpore per pudendum expellere.

M. Ut hanc difficultatem tollam noto omnia animalia à Veteribus Philoſophis dividi in Vivipara, & Ovipara. Hęc diviſio, quamvis à Recentioribus reneiatur ritè ſentientibus omnia animalia ex ovo generari, adhuc tamen admitti poteſt, dummodò per Vivipera intelligantur illa, quorum ovum ab aura ſeminali maris actuatum, & à teſtibus per tubas Fallopianas tunc temporis ad illos accedentes ad uterum tranſmiſſum ibi paulatim in animal explicatur. Nomine verò Oviparorum veniant illa animalia, quorum ovum fęcundum (ſuppono indubitum non fuiſſe inter animalia utriuſque ſexus congreſſum) à corpore excluſum continet totum id, quod fętum alere debet, donec illius viſcera, & fermenta vegetiora reddita duriorem cibum conficere, ſeu digerere poſſint. Quò fętus in ejuſmodi ovis conclusus mole augeatur, & è ſuo receptaculo prodeat, blando duntaxat calore indiget ſive poſtea ille calor ſit maternus, ſive alterius animalis, aut rerum etiam non viventium, ut videre eſt in clibanis in noſtris Regionibus ab Ægyptiis elaboratis, in quorum cineribus procreatur calor diù aſſervatur, à quo, ubi fęcunda gallinarum ova foveantur, ex ſe pullum emittunt, animalia hujus ſecundæ claſſis ſunt plures aves, piſces, & inſecta, ac alia, contra quæ non militat à te propoſita difficultas, cum iſta extra uterum alantur.

C. Cur

C. Cur dicis plures aves, & piſces ova edere, non verò omnes? Ego ſemper opinatus ſum omnia animalia volatilia, & aquea eſſe ovipara.

M. Pravam fovebas opinionem. *C.* Dantur piſces, qui animalia viva pariunt, ſuntque ad Cetarum genus reducuntur. Inter aves veſpertilio vivum fœtum parit, illumque lacte nutrit. Difficultas à te ſuperius adducta animalia vivipara impetit, nam cum hæc fœtum intra uterum alant, debent plus ſanguinis generare, quam requiritur pro ſuo individuo: ſanguiſque ſuperfluus matri, neceſſarius fœtui tranſmiſſus ad matricem extra tempus geſtationis, poſtquam ibi aliquantiſpèr moratus eſt, è corpore debet extrudi. Ut momentum hujus difficultatis innoteſcat, tibi compertum eſſe volo omnia animalia, Homine excepto, habere ſtata generationis tempora, quibus advenientibus, æſtu venereo agitantur, coeunt, & concipiunt. Quapropter tunc temporis ſolum, abſoluta fœtus geneſi, debet adeſſe ſanguis pro illius nutritione. Feles menſe Januarii, Sues Februarii uſque ad medietatem Martii, Oves, & Capræ vere, & autumno, Aſinæ ſolſtitio æſtivo, Cameli initio autumni, Urſæ ſub hyemis ingreſſum, in venerem feruntur, congrediuntur, & concipiunt. Hæc porrò animalia, inhibito congreſſu vel menſtruas habent excretiones, ut contingit in Vaccis, & Canibus, vel fluxum patiuntur menſtruis analogum, ut advertit Bonhius. Cum Homo verò quocunque tempore veneri vacet, ac proinde poſſit ſemper mulier concipere, debet hęc perpetuò in utero habere adornatum alimentum pro fœtus nutritione, quod extra tempus geſtationis, ſingulis menſibus natura foras trudit. Hic eſt naturę mos, ut quando aliquod opus ſemper fieri poſſit in aliquo loco, ad illum indeſinenter ea tranſmittat id, quod ad ejuſmodi opus peragendum requiritur. Sic cum bilis condita ſit precipuè in chyli gratiam, chyluſque quacunque hora in primis viis reperiri poſſit (non enim animalia prefixum habent tempus ſumendi cibum) natura de chyli elaboratione ſolicita ſemper bilem illuc deducit. Hominem autem magis in coitum pronum eſſe, quam reliqua animantia, indicat experientia, & hiſce verbis tradit Lactantius — Cum excogitaſſet Deus duorum ſexuum rationem, ipſis attribuit, ut ſeſe invicem appeterent, & conjunctione

gau-

gauderent. Itaque ardentiſſimam cupiditatem conctorum animantium admiſcuit corporibus, ut in amorem avidiſſime ruerent, & ſic ea ratione propagari, & multiplicari genera poſſent. Quæ cupiditas, & appetitus in Homine vehementior, & acrior invenitur, vel quia Hominum multitudinem voluit eſſe majorem, vel quia virtutem ſoli Homini dedit, ut eſſet laus, & gloria in coercendis voluptatibus, & ſui abſtinentia. Idem quoque Gualterus Harris, quem egregiè de morbis acutis puerorum ſcribentem omnes cujuslibet ævi Medici ſemper admirabuntur, ſic teſtatur — In cæteris animalibus innata generis bonitas proli certiſſimè transfertur, partim quia victus eorum ſimpliciſſimus eſt, & partim (idque potiſſimum) quia mas naturæ leges inviolatas univerſim ſervat, neque eſt piaculi iſtius reus, ut gravitanti fœmellæ ſe unquam commiſcere voluerit, poſtquam, ſive odore, ſive inſtinctu ſuo admodùm ſagaci, ne dicam rationali, fœmellam utero ingraveſcere ſubolverit. At verò genus humanum (cujus ratio intumeſcens plerumque dictat craſſas in ſublime exigere, & præ ſe brutum omne ſemper aſpernari) quovis hirco ferè ſalacius indomitam ſuam libidinem adeò neſcit gubernare, ut à prima conceptione ad ipſum parturiendi momentum, fœminam vix deſinat importunius exagitare.

Adducta opinio ex Galeno deſumpta eſt explodenda. Si illa ſubſiſteret, Spartanæ mulieres non debuiſſent menſtruorum incommodum ſubire, hæ ſiquidem improbis laboribus operam dabant, & domi non morabantur. Ex præſcripto namque Lycurgi corpora curſibus, luctationibus, jactibuſquè diſcorum, & jaculorum exercebant, quò robuſtiores redditæ minus partus doloribus vexarentur, & vegetiores fœtus in lucem ederent. Subinde quoquè, dum peculiaria ſacrificia fiebant, tenebantur virgines nudæ in publicum prodire, ubi pueris admixtæ coram juvenibus, ſenibus, & Rege ipſo doctè canendo, & ſaltando, quamnam in utraque arte præſtantiam nactæ eſſent, omnibus innoteſcebat. Juvenibus, qui cœlibem vitam ducere decreviſſent, interdictum erat, nudarum virginum choreis intereſſe, & cogebantur nudi hyeme per Civitatem incedere canentes quædam carmina in illorum ignominiam condita, cœlibatus enim Spartæ pro delicto habitus hiſce pœnis plectebatur. Plato quoque

fœmi-

fœminas in curſu exercendas eſſe ſentiebat, ut ad militaria munera, & ad patrios lares defendendos, prout res exigeret, ſuam operam conferrent. Mulieres degentes in Æthiopia interiori Occidentali, quibus ob virorum ſocordiam ſolum ceteroquin fœcundum ſubigere renuentium, incumbit onus terram colendi (ut refert P. Lamandinus) & ipſæ a menſtrua purgatione immunes eſſe deberent. Hæ infelices fœminæ opus valde laborioſum exercent, cum ibi ignorato Triptolemi invento, bobus vomeri junctis, terræ viſcera proſcindendi, cogantur terram fodere; quodque majorem erga illas miſerationem parit eſt illud. Ubi lactant pueros, illos ſecum in arva vehunt ab humeris oblongâ zonâ ad lumbos uſque demiſſos, ne domi relicti à formicis devorentur, dumquè in præfato opere curvant, eriguntquè corpus, à validis infantium ſubſultibus earum languidæ vires atteruntur. Noſtræ quoque agreſtes mulieres menſtrualem fluxum pati non deberent nam & ſi ipſæ (viris Agriculturæ vacantibus) minus fatigent quam indicatæ Æthiopiſſæ, adhuc tamen graves ſubeunt labores. Belligerarum Amazonum mentionem non facio, illarum ſiquidem hiſtoriam, ob allata à Criticis, atque in his à Lancelloto argumenta, inter Apulei fabulas repono. Addendum non omnes mulieres, quæ domi morantur, deſidem vitam agere, quales ſunt, quæ texendi, & carminandi opere fun guntur. Si cauſſa menſtruationis mulierum eſt vita ſedentaria, menſtrua non deberent ſolum durare uſque ad quadrageſimum quintum, vel ſeptimum annum, ut fit, ſed tota vitæ periodo & quo magis annoſa eſſet mulier, eo magis hunc fluxum menſtrualem pati deberet, quia ob adauctam, ratione provectæ ætatis, deſidiam, uberiora in ipſa excrementa concervarentur.

C. Mihi mehercule proficuum eſt tecum præliari, nam etſi in certamine ſuccumbam, ſemper tamen à pugna hilaris diſcedo, in qua locupletior, & doctior evado. Hunc morem tecum diſputandi, dummodò id tuæ patiantur curæ, nunquam omittam. Idcircò ſublata una difficultate, novæ ſemper emergent, ut è tua mente ſapientiæ igniculos concuſſione eliciam.

Sanguis menſtruus eſt inquinamentum ex omnibus mulieris partibus cùm ſolidis, tùm fluidis depromptum, tranſmiſſumquè ad

ad uterum, ut inde è corpore expellatur, hacquè ratione mulieres à morbis conſerventur immunes: nam illæ, ob menſtruorum ſuppreſſionem plurimis morbis corripiuntur, quî autem hos morbos ſanguis menſtruus accerſere poteſt, ubi non ſit pravæ indolis etiam ante ſtagnationem in utero? Sanguis menſtruus ex natura ſua eſt humor perniciofus, qui non ſolum mulieribus valde infenſus eſt, verum etiam (ut tradunt Plinius, Columella, aliique) vina corrumpit, plantas enecat, ſpeculorum deſtruit nitorem, vimque poſſidet dementandi: conſtat enim ex hiſtoriarum monumentis Caligulam mente motum fuiſſe illi ab uxore Cęſonia cum potu ſanguine menſtruo exhibito. Canes, qui ſanguinem menſtruum delibatunt, in rabiem aguntur. Omnia acceſſu mulieris menſtrualis flaveſcunt. Famigeratiſſimus Helmontius ſentit cruorem menſtuum, vitali ſpiritu deperdito, contractiſquè horridis recentis cadaveris proprietatibus, virulentum evadere, ac lintea illo infecta indelebilibus maculis inquinari; quas dum iteratis lotionibus nitimur ex illis educere, oleum, & operam perdimus, cum ſolùm è linteo foraminulato excidant, perinde ac ſi illud acido ſulphuris ſpiritu corroſum fuiſſet. Hinc jure meritò Fragoſius, Lanfrancus, aliique Chirurgi monent pro vulnerum curatione, linea filamenta ex linteaminibus, & ſubuculis mulierum efformata, licet pluries lota ſint, cane pejus, & angue evitanda eſſe ob ſanguinis menſtrui virulentiam, quæ nulla ablutione elui poteſt. Monent ulterius ab aſpectu vulneratorum arcendas eſſe mulieres, quo tempore fluxum menſtrualem patiuntur, Homineſquè, in quibus contracta à lucta venerea agitatio nondum ſedata eſt.

M. Hæc difficultas, quæ maximi in cortice ponderis videtur, in receſſu nil ſolidi complectitur. Quod ſic oſtendo. Mulieribus menſtrua non fluunt, vel ob ſummam reſiſtentiam in uteri vaſis, quam momentum ſanguinis cæteroquin ſani ſuperare nequit, vel quia vitale fluidum debita activorum principiorum, ſalis videlicèt, ſulphuris, & ſpirituum copia deſtituatur. Suppreſſio menſtruorum in primo caſu procreat plethoram (dummodò alia via è corpore cruor non egrediatur) redundantiam nimirum ſanguinis, à qua plures morbi proficiſcuntur, cum illa non ſinat ſanguinem perfectè circulari, & fermenteſcere. Cor

à ni-

à nimio cruore penè obrutum validas contractiones nequit exercere fibræquè carneæ à natura in variis partibus efformatæ, ut auxiliares manus afferant cordi (impulſus enim, quem ſanguis à corde recipit, non ſufficit ad ipſum per totum corpus impellendum) & ipſæ ab uberiori ſanguine oppreſſæ languidos motus peragunt: plethora quoque ob vaſorum anguſtiam non ſinit ſanguinem perfectè fermenteſcere, ad fermentationem enim ritè peragendam, inter reliqua, congruus locus exigitur. Vitiato autem utroque ſanguinis motu, per quorum alterum præparatur totum illud, quod requiritur pro animalium œconomia, quodque animalibus proficuum eſſe nequit, ſubigitur, trituraturquè, ut è corpore poſſit expelli, per alterum ad diverſas glandulas deducuntur cùm materię variis corporis uſibus deſtinatę, tùm humores excrementitii è corpore eliminandi: vitiato inquam utroque ſanguinis motu, mirum eſſe non debet totam ſubverti animalem œconomiam. Huic ratiocinio favet Hippocrates in libro de flatibus ſcribens, à ſanguinis perverſione fieri totius corporis perverſionem. Ubi poſtea menſium ſuppreſſio fit à ſanguine effœto, principiorum videlicèt activorum penuria laborante, tunc ſanguis ritè non fermenteſcit, quocirca nil mirum ſuppreſſionem menſtruorum aliis morbis copulari, pallido videlicèt faciei colori, hædematoſo partium tumori, difficultati anhelitus in motu, præſertim in aſcenſu, inappetentiæ, corporis torpori, mentis hebetudini, paſſioni hyſtericæ, aliiſque ægritudinibus. Quo caſu menſtruorum emanſio eſt effectus prodiens ab immutata ſanguinis fermentatione, à qua plures alii morbi proficiſcuntur. Perſpicuum igitur eſt re hic quoque allucinari, qui opinaris ſuppreſſionem catameniorum eſſe plurium morborum originem, cum & ipſa, reliquiquè morbi ſint omnes filii ab eodem patre profluentes, à ſanguine videlicèt minus ęquo fermenteſcente. Sanguis menſtruus vim dementandi non poſſidet, hinc Cæſoniæ hiſtoria commentitia eſt. Spurciſſimum, & vetuſtiſſimum Fellatorum, ſeu Cunnilingiorum genus, cujus meminerunt Seneca, Plutarchus, Catullus, Martialis, Juvenalis, Lucianus, Mercurialis, Sectanus, aliique (quod noſtro quoque ævo viget) vèl in ipſo exordio extinctum fuiſſet, ſi ſanguini menſtruo præfata vis ineſſet. Falſum eſt canes, delibato ſanguine

ne menſtruo rabidos fieri. Mathiolus, cognitione Botanicę, Metallorum, & Venenorum, vir celeberrimus in ſuis epiſtolis refert ſe cognoviſſe mulieres, quæ melleos caniculos domi in nullum alium uſum alebant, quam, ut, cum menſes paterentur, ea lingerent excrementa, quæ concreta tunc pudendo adhęrent, ac ingenuè fatetur ſe nullum ex hiſce cognoviſſe, qui in rabiem inciderit. Ea, quę tradunt Plinius, Columella, Helmontius, & pręfati Chirurgi veritati non cohærent, ut, facto periculo, omnibus innoteſcet. Plura hujus indolis eorum mentem ſubeunt, qui naturam in libris tantum inquirunt innumeris mendaciis ſcatentibus, ut penes accuratiſſimum naturę indagatorem Franciſcum Rhedi legere eſt, naturamquè adeuntibus eſt apertiſſimum. Admiſſis, ex indulgentia, pręfatorum Authorum fabulis, adhuc tamen firmo ſtat robore mea ſententia. Plura ſunt (inquit Marcellus Donatus) quotidiano eſui idonea, quibus ſi novellę vites, inſita, germina, vel fruges delinantur, illicò areſcunt quod quidem præſtant, præ cæteris, oleum, acetum, & muria. Quin etiam quam plurima reperiuntur medicamenta ſalubria, omniſquè veneni experta, quæ ſuppoſita, vel illita abortum, & ſterilitatem faciunt.

Tuum argumentum C. nimis probat, ac proinde nihil probat. Nimis ſanè probat, cum evincat animalium ſemen eſſe rem pravæ indolis, dum enim bruta ęſtu venereo agitantur, in furias, ignemque ruunt, ut cum Virgilio loquar, feroci videlicet evadunt, freno coerceri nequeunt, & undequaque illorum natura in ſtatu violento conſtituitur, quæ omnia ſymptomata ſedantur inito cum fęmina congreſſu. In mulieribus quoque, dum patellę libidinis (ſic à D. Hieronymo uterus nuncupatur) effervere experit, totum corpus ſiis, deque vertitur, & ratio ipſa, niſi magnus conatus adhibeatur, è ſua ſede dejicitur.

C. Quamuis hęc tua reſponſio docta ſit, nondum tamen habes me circatuum ſententiam imperturbatum. Mulieres, imminente menſtruatione, à Viro compreſſę concipere poſſunt, quo caſu detinebitur ſanguis menſtruus, qui cum per ſe ex ſlagratione vitiatus ſit, materiam, ex qua fętus vel procreari, vel nutriri debet, pravis qualitatibus imbuet.

M. Aura ſeminalis ſanguini menſtruo admixta illius vitium

cor-

corrigit, quod nihil aliud eſt, quam acredo ex ſtagnatione contracta. Cum per Hippocratem impudens ſcortatio Dyſenteriæ à falſum exaltatione profectæ medeatur (miror tamen remedium hujus indolis à tanto Viro proponi) poterit quoque coitus in vaſe naturali inſtitutus ſanguinis menſtrui acredinem emendare. Aura ſeminalis inſigni pollet vi fermentandi, quare Veterum nutricibus in more poſitum erat ſponſę prima nocte viro jungendæ collum filo metiri, viſuris manè, utrum idem filum ad collum remetiendum ſufficeret, cui muneri obeundo, ubi omnimodè par non erat, in gaudium effuſæ clamabant virginem à Viro mulierem factam eſſe, ad quem ritum alludens Catullus ſic cecinit.

Non illam nutrix orienti luce reviſens
Heſterno collum poterit circumdare filo.

Cum autem aura ſeminalis vi fermentandi prędita ſit, poterit ſua inteſtina agitatione ſanguinis menſtrui vitium tollere. Fermentationes profectò ut plurimum inſerviunt ad fluidorum, & ſolidorum depurationem. Nos videmus mulieres per viri congreſſum à plurimis morbis immunes evadere, quos patiuntur Viduę, & Veſtales, quibus virorum uſus eſt interdictus. Nupta ergo fęmina ſubinde jungatur viro præcipuè in gratiam generationis, deinde, ut firma gaudeat ſanitate. Admiſſo in propoſita difficultate pondere, non omnes Homines, ſed aliquos tantum Variolarum morbis invaderet.

C. Quamvis fętus non nutriatur ſanguine vitiato, adhuc tamen ille locus, in quo nutritur, nequit non eſſe inquinatus, cum in utero alimoniam recipiat, in quo extra tempus geſtationis, recolligitur ſanguis menſtruus, cujus vitium ex ſtagnatione profectum communicatur utero, illuſquè ſubſtantiæ infixum remanet, ut contingit vèl in vaſis vitreatis, quæ rebus infuſis infectionem contractam communicant, hinc ſi diu in illis detineatur fermentum aliquod, deindè, eo extracto, fermenti locum occupet paſta, in hanc vas infectum vim fermenti tranſmittet. Ideo ex uteri vitium ad fetum quoquè tranſibit, à quo poſtmodùm, congruo tempore, Variolæ procreabuntur.

M. Reſpondeo, quemadmodum vas inquinatum per actionem ignis vitium exuit ita per actionem auræ ſeminalis uterum quo-

què deſecari. Sanè aura ſeminalis uteri ſubſtantiam pervadens ſua inteſtina agitatione ab illius parietibus quamcumque labem abradit. Corpora, in quibus energetica vis ſeminis fermenteſcit, depurantur, hoc idem præſtat vinum generoſum in fetidum dolium immiſſum, quod illius latebras peruadens inde fætorem educit. Magna profectò auræ ſeminali vis ineſt. Pueri ante pubertatem imbecilles, plurimumquè ad fœminarum temperiem accedentes, poſt ſeminis elaborationem, toto Cœlo à ſemetipſis abludunt, portione ſpermatis in ſanguinem deducta, quæ augendo maſſæ cruentariæ fermentationem, efficit, ut illi barbam emittant, eorum vox virum ſonet, vegetioreſque in motibus cùm vitalibus, tùm ſpontaneis evadant. Hęc ſeminis vis doctiſſimo Sectano comperta erat. Quocirca inducit matrem ex præcoci eruptione barbæ filii, vociſque præpropera mutatione, religione vexatam, ne filius hodiernum Amilum paſſus fuiſſet, Poetæ carmina ſunt hæc —

Præcipuè ante annos mater ſuſpecta videtur
Barba Lagi, ſubitoque pili conſortes eguntes
Accuſatquè manum, qua ſemina meſſis acuta
Spargere non verita eſt, claramque extinguere vocem.

Si hæc omnia præſtat aura ſeminalis (omitto in præſentiarum id, quod in fęminarum ovis molitur) uteri vitia pariter tollet.

C. Omnia argumenta, quæ tuam impetunt ſententiam a te funditus ſublata ſunt. Indagaturus igitur Variolarum originem, alta cogor incedere via. Quamuis ſanguis à matre appellens ad fętum non ſit pravæ indolis, debet tamen in illo vitiari, quia cum fętus, toto ferè geſtationis tempore, dormiat intra ſecundinas, ac minimè, vel ſaltem languidè moveatur, nequeunt non in illo plurima cumulari excrementa, quæ cum non poſſint è corpore extrudi per alvum, urinam, diaphoreſim, & inſenſibilem tranſpirationem, ſanguinem inquinabunt. Sanè fætus ibi degens non mingit, alvum habet adſtrictam, immò neque videtur tranſpirare: non exonerat alvum, quia fęces in humore, cui innatat, non obſervantur: urethra in fætu humore viſcido obſtructa urinæ non permittit egreſſum: non tranſpirat demum, quia illius corpus exterius glutinoſo humore illinitur, à quo ſupprimitur tranſpiratio. Hippocrates ad impediendam

tranſ-

tranſpirationem in illis, qui ex ea tempore æſtivo valde debilitantus, unctione corporis utebatur, quam commendat quoquè Bacco Verulamius in hiſtoria vitæ, & mortis, illis, qui rarioris ſunt texturæ. Humor, cui fetus in ſecundinis contentus innatat, non eſt illius excrementum, ſudor videlicèt, & urina, ut ſcripſerunt Veteres, nam, obſervante Plempio, dum fetus majoris formicæ molem vix excedit, ſex, vel ſeptem unciis liquoris circumdatus, qui autem poteſt ſub mole adeò exigua tantam excrementorum copiam generare, & emittere? Prefatus humor in muliere utero gerente à natura intra ſecundinas ſeparatur pro fetus nutritione ille ſiquidem nutritur non ſolum per vaſa umbilicalia, verum etiam per os. Ulterius inſervit ne fetus ſecundinarum parietibus agglutinetur, illiuſquè tenellum corpus ab earum aſperitate lædatur, quam ſcabritiem ſanè ſecundinæ contraherent, deficiente humiditate, ob matris, fetuſquè calorem. Hac de cauſſa natura poſuit intra Pericardium aquam, ne hoc marſupium, ob humidi deficientiam, rugis contractis, Cor in ſyſtole ad ſua latera accedens moleſtia afficeret. Cor profectò non indiget hac humectatione, cum intrinſecus ſatis humectetur à lympha, & exterius in baſi multa pinguedine obductum ſit, cujus aliqua portio in ſyſtole Cordis mucroni ad baſim accedenti communicatur. Hæc obiter dicta ſint de uſu aquæ in Pericardio contentæ, revertamur ad munera humoris intra ſecundinas detenti. Iſte humor non ſolum fetum alit, ac imminentem à matris, & fetus calore, membranis aſperitatem arcet, verum etiam fetui ab utero prodeunti viam ſternit eam lubricando. Contraho difficultatem fusè nimis propoſitam. Sanguis in fetu vitiatur ob motus deficientiam, nec non ob indubitam à corpore excrementorum expulſionem, cum nulla via patula ſit in corpore, per quam illis exitus præbeatur.

M. Humor, quo fetus nutritur in utero, modicis ſcatet excrementis, cum ſit liquor præparatus, & defecatus in matris viſceribus, qui ad inſtar Cambii veterum, eſt in proxima diſpoſitione ad nutriendum. Debet humor iſte revera eſſe talis indolis, cum organa coctioni, & depurationi chyli inſervientia in fetu, ſint adeo languida, ut rem crudam digerere nequeant, liquoremque valdè inquinatum ad perfectum ſtatum redigere.

 Ul-

Ultro concedo fœtum, ob deficientiam motus, inhibitam inſenſibilem tranſpirationem, fœcum, & urinæ retentionem, aliquod vitium in fluidis contrahere, quod parit illos morbos, qui ad hæc uſque tempora obſervati ſunt, cruſtam videlicèt lacteam, achores, & intertrigines, quos morbos, ubi non patiantur pueri, nunquam firmam adipiſcuntur valetudinem neutiquam verò procreat Variolas, aliàs Græcorum tempore cum reliquis morbis debuiſſent obſervari.

C. Ego, qui ſoleo validiſſimè meas difficultates tueri, cum ex tuis ſolidis reſponſionibus colligam eas eſſe meæ mentis partus degeneres, de illarum vita amplius ſolicitus non ſum. Nolo tamen animum deſpondere, fortaſſe in aliquid impingam, quod non erit adeò infirmum, in arenam ergo iterum deſcendo. Ova mulierum continent peculiare fluidum, ex quo fœtus, superveniente viri aura ſeminali, debet generari. Hoc porrò fluidum, cum diu ibi ſtagnet, antequam abſumatur, ſeu impendatur in humani corporis fabricam, debet ex longa mora aliquod vitium contrahere. Preterea non poteſt ex indicato fluido generari fœtus, niſi illud corrumpatur. Generatio ſiquidem unius eſt corruptio alterius, hoc evidens eſt in ſeminibus plantarum terræ commiſſis, quæ nunquam explicantur in plantam abſque prævia corruptione hinc quando ex illis incipit procreari planta flaceſcunt, ſaporemque ingratum acquirunt. Ergo ratione diuturnæ ſtagnationis, & corruptelæ generabitur ex portione fluidi in ovis contenti quoddam fermentum morboſum, quod diù latens in Hominibus, tandem exiſtente cùm in aere, tùm in ſanguine peculiari diſpoſitione, in actum erumpet, Variolaſquè pariet.

M. Huic difficultati multa regeri poſſunt. Non omnes Doctores ſentiunt ex fluido in mulierum ovis contento fieri ab aura ſeminali viri organicum viventis corpus, cum penes quoſdam magnæ notæ Philoſophos, & præcipuè penes Malebranchium, Sturmium, & Peyerum, hoc opus ſit adeo portentoſum, ut ſecundarum cauſſarum vires excedat. Idcircò iſti opinantur in ovo contineri totam fœtus machinulam ab Authore Naturæ elaboratam, contractiſſimam tamen, auramquè ſeminalem inſervire duntaxat ad partium explicationem. Horum opinioni videtur

detur favere hic Sanct. Textus — Deus Redemptor tuus, & formator tuus ex utero. Non eſt univerſaliter verum ſtagnationem vitium fluidi tribuere, nam aquæ deſtillatæ, ſpiritus ardentes, olea, & alia fluida in phialis clauſa ſine ulla alteratione diutiſſimè perſeverant. Modo ſi ars parat fluida, quæ nullam, ob longam in aliquo conceptaculo moram, ſubeunt alterationem, cur hoc idem non poteſt moliri natura in humore, qui inſervit ad humanam corporis geneſim, vel nutritionem? Ut etiam humor animalium ovis incluſus aliquam ex mora labem contrahat, hæc tolli poteſt ab aura ſeminali ovum ſubeunte. Nonne animalium carnes, quibus imminebat corruptela, per actionem ignis ab illa conſervantur immunes? Quod præſtat ignis ſua actione in carnes converſis, poteris quoque efficere aura ſeminalis agendo in fluidum in ovis contentum. Lubens concedo generationem unius eſſe corruptionem alterius, quid inde? Ex corruptione unius ſubſtantiæ, non debet neceſſario pullulare aliquod inquinamentum. Tunc habetur corruptio unius rei, alteriuſquè geneſis, quando partes minimæ, & inſenſibiles, quæ ſub tali determinato coalitu aliquod compoſitum conſtituebant, hanc peculiarem combinationem deperdunt, aliamque omnimode diverſam adipiſcuntur, quod ſanè fieri poteſt nulla inde profluente materia morboſa. Dum pullus ex ovo fœcundo a gallina incubato generatur, cujus rudimenta natura in cicatricula collocavit, incipit hæc macula alba in ſuperficie vitelli reſidens tremere, palpitare, & turgeſcere, ut obſervat Truſton, ac paullo poſt manifeſtantur vaſa circularia, per quæ ſuccus, qui ante incubationem in cicatricula concretus erat, modo a calore liquatus, excurrit. Hoc fluidum ad diverſa viſcera ibi abdita appellens illa nonnihil explicando, nunc unum ex illis conſpicuum reddit, poſtmodum alterum, hocquè eo uſque peragit, donec tota pulli machina manifeſtetur. Cum per gallinæ incubationem pullus è tenebris in lucem emerſit, quò partes ſibi à Deo præfixam molem adipiſcantur, natura liquefacit albumen, illoquè pullum alit, donec in ovo continetur.

C. Cum igitur vitellus pullum non alat, erit vitellus illa pars excrementitia, quæ in quolibet ſemine reperitur.

M. Nequaquam C. natura claudit vitellum intra fœtus abdomen,

men, illiquè immergi vaſa umbilicalia, magno ſanè argumento illam intendere uti vitello quoquè pro pulli nutritione.

C. Quonam tempore quæſo vitellus pullum alit?

M. Ubi pullus ab ovo egreſſus eſt, cum tunc temporis illius roſtrum nondum ſit conſolidatum, quod nonnihil etiam debilitatum eſt ex crebris, quibus corticem perfregit ictibus, natura non ſinit tunc pullum roſtro ſibi victum comparare, ne illud obtundatur, obliquetur, vel difrumpatur, depromitque intereà ex vitello alimoniam, donec præfatum roſtrum roboratum ſit. Ne recedam ab exemplo à te è plantis deſumpto noto cum Malpighio noſtro, qui ſe ſolo ſufficit ad nobilitandam totam Italiam, profectò mi Malpighi —

Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicada
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

Noto inquam cum Malpighio noſtro in ſemine fœcundo plantarum nondum terræ commiſſo (detractis tunicis illus ſubſtantiam inveſtientibus) apparere plantam velut in epithomen redactam ex tribus præcipuè partibus coaleſcentem, quarum prima reliquis valde major, ſunt gemini, ut plurimum lobi, qui foliola ſeminalia quoque nuncupantur: hi incipiente ſeminis vegetatione ab invicem diducuntur, ac è medio ipſorum plantæ fœtus erumpit. Secunda eſt quædam pars conica, & rotunda, quæ licet ſpeciem trunci referat, revera tamen ferè tota abſumitur in radicem, & eſt illa, quæ per patentem in externis ſeminis tunicis cicatricem, exit, ubi ſemen terræ commiſſum germinare incipit. Tertia denique eſt altera pars prædicto conico corpori ſuperius conjuncta, quæ ut plurimum unà cum ipſo inter lobos cuſtoditur. Hiſce in ſemine nondum terræ mandato adnotatis, dum ipſum ad vegetandum ſeritur, tunc ſeminalis planta acceſſu ſuccorum terraqueorum cùm per tunicas ſeminis, tum per cicatricem in ipſis patentem ſubeuntium, incipit multum turgere, & laxatis tunicis, bina ſua folia aperire, quæ in quamplurimis tunc virorem aſſumunt. Concomitanter ad hoc portio ſucci in conicum corpus ſeſe inſinuans extendit ipſum in radiculam, quæ prius crepit, & notabiliter, plus minus, pro diverſitate ſtirpium, inferiora verſus exporrigitur. Tandem gemma,

trun-

truncus, ſeù ſuperficies plantæ ultimo loco erumpit, dum ſcilicèt pars ſucci ſubtilior, ac uberioribus ſpiritibus ſcatens in trunco radicis à calore dilatata ſurſum mittitur, ſicquè in hujuſmodi gemmam redundat, illiuſquè explicationem molitur, manifeſtum igitur eſt, quando ſemen Plantarum terræ committitur, irrigatur ab aqua, & Solis calore fovetur, ipſum in plantam abire, nulla ſubſecuta in ejus partibus tunc excrementitii humoris geneſi. Quando in ſemine, præter partes integrales illius, quid aliud reperitur, hoc ſanè non eſt quid excrementitium, ſed eſt ſuccus, ex quo plantæ primum incrementum, & nutrimentum recipiunt, hoc liquet in bulbis in aere ſuſpenſis, quæ folia ſurſum, & radices deorſum proiciunt, cum tamen nullum aliud alimentum advehatur, quam quod in ſe ipſis habent: idem in fabis, & piſis in humido aere germinantibus conſpicuum eſt.

C. Tua doctrina, quam majori ex parte amplector, mihi quamdam religionem injecit, a qua per te me liberatum iri ſpero. Non percipio qui vitellus ſit congruum pulli alimentum, cum per artem Chymicam ex ipſo elicitur oleum venenatæ naturæ. Præterea dum Homines vèl adulti veſcuntur ovis, difficilimè ea concoquunt, qui autem languidiſſima viſcera, & fermenta abdominis pulli vitellum conficere, ſeu digerere poſſunt?

M. Propoſita difficultas tuum animum vexare non debet. Oleum venenatæ naturæ per artem chymicam ex ovi luteo eductum fortaſſe talem indolem non habet, ubi aliis lutei comparitibus admiſcetur, ſolumquè illam adipiſcitur per actionem ignis, ab igne ſiquidem figuras molecularum immutante poſſunt quædam partes in gladiolos valde acuminatos abire, qui, ad inſtar veneni corroſivi, ventriculum, totumquè Inteſtinorum tractum exulcerent. Quędam ſalia ignem paſſa ex dulcibus amara fiunt, quod nequit contingere citra figurę mutationem. Circa hanc rem merentur ea legi, quæ tradit *Boyle* in ſuo Chymiſta Sceptico. Quando dico ſalia per actionem ignis mutare figuram, loquor de ſalibus compoſitis: ſalia ſiquidem ſimplicia figuram habent invariabilem, ut docet doctiſſimus Guglielminus noſter in ſuo numeris omnibus abſoluto de ſalibus tractatu. Ut etiam formaliter (liceat mihi Scholarum terminis uti) hujuſmodi oleum in

 vitel-

vitello contineatur, adhuc tamen per miſcellam alterata partium illius vis deleteria vincla operari non poterit. Ex Nicotiana, quam exſiccatam multi dentibus atterunt, verſamque in pulverem innumeri naribus attrahunt, elicitur oleum, cujus una, vel altera gutta linguæ felis ſuperimpoſita illum interficit, ut legere eſt penes Franciſcum Rhedi. Ova elixatione concreta eſſe poſſunt utique detrimentum inferre, ſecus verò ſi liquida cum aliquo vehiculo bibantur. In pullo clauſo intra ovum, ſolutum albumen, in eodem ab ovo egreſſo, liquefactus vitellus ita per varias fermentationes alterantur, ut utrobiquè innocuè illum alant.

C. Cum mihi nulla amplius ſuppetat difficultas circa ea, quæ à te hactenus dicta ſunt, aveo ſcire quid Rhaſis, qui, & ipſe ſuit Medicus Arabs, circa Variolarum cauſſam excogitaverit.

M. Rhaſis explicaturus qua ratione Variolę generentur, ſic philoſophatur. Juxta illius mentem puerorum ſanguis cum ſucco ab uvis expreſſo analogiam habet, quem, cum adhuc depuratus non ſit, natura defæcare intendens in eo ebullitionem excitat, per quam partes heterogeneæ ab homogeneis ſeparantur. Porrò, quod natura peragit in muſto, idem pariter efficit in ſanguine, hinc fit omnes Homines Variolis corripi debere, quò ſanguis à primo ſtatu ad ſecundum progrediatur, ſicuti muſtum per fermentationem exaltatur, & perficitur, præcipitatiſquè fęcibus, in purum vinum mutatur.

Hæc opinio mihi claudicare videtur. Si Variolæ ab impuritatibus ſanguinis orirentur, illi, qui ſcabie, tinea, intertrigine, ſed præcipuè febribus laboraſſent, non deberent Variolis obnoxii eſſe, cum per indicatos morbos, & potiſſimùm per febres, ſanguis depuretur, & ad perfectam craſim redigatur. Febris ſiquidem (ut rectè innuit Sydenham) eſt ſanguinis deſpumatio. Quod idem videtur ſentire doctiſſimus Franciſcus Torti in ſuo pulcherrimo de Cortice Peruviano tractatu, in quo ſermonis elegantia rationum ponderi adnexa ſuaviſſimè Lectorem in Authoris ſententiam trahit. Natura eo conſilio in maſſa cruentaria febrem excitat, ut materiæ impuræ ſanguini inexiſtentes per adauctam fermentationem ſubactæ, trituratæ, & ad minima redactæ (eſt enim fermentatio, ut docet vir portentoſi inge-

ingenii Alfonſus Borellus, mihuq; linæ) anguſtiſſimis glandula- rum humores excrementitios ſeparantium meatibus proportio- nentur, hacquè ratione è corpore eliminantur per diaphoreſim, diureſim, ſeceſſum, aliaſquè vias – Reperiuntur (inquit Lucas Tozzius) pleroſque jam diù male affectos, & ferè à nativitate morboſos per febrem ſalubriores evadere, atque meliori impoſ- terum frui cùm corporis, tùm animi conſtitutione, adeo ut in vulgi adagium abierit febres per tempora pueritiæ contingentes vegetationi, & ſpecioſitati maximopere conferre. Qua etiam ratione à nonnullis proditum eſt quoſdam ad extremum ſenium perductos ex gravi deinde febre reſloruiſſe, ac veluti repueraſ- cere viſos, quandoquidem per febrem repurgato ſanguine, ve- terem, & laxam habitudinem exuta corpora novam, ſolidio- remquè induunt. Morbi inſuper curatu difficiles ſupervenien- te febre curantur, ut Hippocrates, Galenus, Etmullerus, Toz- zius, VVillifius, aliique obſervarunt, quorum poſtremus, ubi de Stupiditate verba facit, ſic ſcribit – Interdum febris quoſdam ſtultos, & ſtupidos ſanavit, & acutiores reddidit. Refert Huar- tus quemdam Cordubæ in aula regia fatuum, cum febre mali- gna afficeretur, in medio morbi ad tantum judicii, & diſcre- tionis acumen perveniſſe, ut univerſam aulam in admirationem raperet, & toto vitæ, quod reliquum habuit, tempore, pru- dentiſſimum perſtitiſſe. Novimus, & nos quemdam obtuſi, & penè beotici ingenii, qui in febre delirans acutiſſima, & plu- rimo ſale condita dicteria promebat. Senex generoſus memo- riæ, ac proinde diſcurſus uſum amiſerat, qui ab intemperie fe- brili poſtea accedente juvamen maximum recepit. Quorum ra- tio videtur eſſe, quod æſtus febrilis caliginem cerebro obductam quandoque rareſaciat, & diſcutiat. Porrò ſi per febrem mate- riæ vitioſæ viſceribus, aliſquè partibus ſolidis tenaciter adhæ- rentes diſcutiuntur, multo magis abſumentur impuritates in ſi- nu vitalis fluidi ebullientis degentes, è quibus per Rhaſim Va- riolæ procreari debent. Quare poſt febres Homines deberent eſſe immunes à Variolis, quod tamen cum obſervatione non congruit. Preptereà ſi Variolæ ab impuritatibus ſanguinis fierent, quamplurimi Homines non una, ſed pluribus vici- bus variolarum morbo vexarentur, cum ſanguis per Variolas ſe-

ſemel depuratus, iterum, iterumque in illis inquinetur ob varios errores in ſex rebus non naturalibus patratos, ratione quorum ſæpe, imminuta ſanguinis fermentatione, incipiunt vitali fluido deſiderari activæ moleculæ in cerebro, hepate, ſtomacho, teſtibus, aliiſque viſceribus ſeparandæ pro conſervatione individui, & ſpeciei propagatione, ſitque interea in ſanguine plurium excrementorum cumulus.

C. Et ipſe ſentio impugnatam à te opinionem explodendam, eſſe, nam cum ſingulis diebus novus ſanguis procreetur depuratione perficiendus, veteri ferè ſemper imminuto, utpote à quo ope circulationis ad omnes partes deducto, perennè principia volatilia pro actuando corpore, parteſque glutinoſæ pro totius nutritione extrahuntur, dum ille depuratur, ſemper materiem pro alterum Variolarum geneſi ſuppeditaret.

M. Optimè quidem. Modo progredior ad indicandum quid, ab Authoribus poſt Arabes, ad hæc uſque tempora de Variolis traditum ſit. Doctores circa hoc in varias abiere ſententias, quarum præcipuas expendemus.

Mercurialis Variolarum cauſſam opinatur eſſe internam proprietatem, & inclinationem à Parentibus, qui hoc vitio primùm tentati ſunt, contractam. Statuit enim omnes à Genitoribus, qui hunc morbum paſſi ſunt, aptitudinem quamdam ad ſimiles morbos concepiſſe, ac proinde Variolas eſſe quaſi hæreditarias. Juxta mentem Mercurialis hoc perinde accidit, ut id, quod de Macrocephalis Indiæ populis ſcripſit Hippocrates in lib. de aere, locis, & aquis. Primùm gens illa ſtudio, & arte cœpit Infantibus capita oblonga facere, quia ejuſmodi capitibus inſtructi generoſi haberentur. Idcircò cum Parentes talia corpora haberent, factum eſt, ut ab ipſis filii ſimiles geniti ſint adeo at proprietate paterna tota illa gens facta fuerit macrocephala. Sic propemodùm contingit in Variolis. Hic morbus Cœli vitio omnes tentavit, aut ferè omnes, qui demceps cum proprietatem paternam filiis communicaverint, non eſt mirum, ſi longè, lateque morbum propagaverint.

Mercurialis ſententiam proponit, quæ, & ſi veritatis ſpecie fulgeat,

Digitized by Google

pere, haud tamen ſubſiſtit. Morbi, qui ſolent à Parentibus in filios transfundi, ſæpe arcentur à filiis destructa, remediorum ope, cauſſa in illorum ſanguine deliteſcente, hinc morborum cauſſas in defunctorum Parentum corporibus rimamur, ut eas ad filios per ſemen propagatas.

Non Patrum in natos abeunt cum ſemine morbi.

extinguere poſſimus, antequam fœcunditate ſe prodant. Variolæ autem ſunt morbus, à quo nullo præſidio medico filii immunes reddi poſſunt. Sanè cauſſa hujus morbi latens in maſſa cruenta, vel in viſceribus, & ſtato tempore erumpens quorumcumque remediorum activitatem eludit; nullusque Medicus poteſt jactare ſe vim poſſidere in ſemine, ſeu cauſſa hunc morbum deſtruendi. Non omnes filii naſcuntur ſemper ſecundum Parentes, partusquè lege immutabili ſequitur ventrem. Qui peſte ſemel laboravit, eandem ad peſtem diſpoſitionem, inclinationem, & aptitudinem ſoboli non impertitur, Natura ſiquidem ſubactam veneni peſtilentialis cauſſam omnimodè è corpore expellit. Exemplum de Macrocephalis à Mercuriali adductum illius opinioni haud favet. Generatio Macrocephalorum à matris imaginatione proficiſcitur, quæ cum ſemper præ oculis habeat maritum oblongo capite præditum, filium in ſtructura quoquè capitis patrem referentem procreat profectò quando aliquod objectum diù ante oculos mulieris utero gerentis verſatur, vel ſæpè illud mente revolvit, filios ſimilitudine ad imaginem ſic viſam, vel cogitatam plurimum accedentes gignit. Quapropter ſi mulier gravida philautià laborans aptam figuram membrorum proprii corporis, ſuavitatemquè coloris (quæ duo pulchritudinem conſtituunt) ſuper omnes alias admiretur, erit infans matri ſimilis ſi verò mariti forma illi arrideat, ejuſquè imaginem ſæpè attenta mentis acie concipiat, filium in lucem edet, in quo Patris idea vigebit. Mulieres igitur de prolis forma ſolicitæ debent ſibi comparare pulchras circa lectum genialem imagines.

Fernelius vult Variolas gigni à cæca, & occulta vitiati aeris qualitate. Ab aere eas naſci cenſet, quia hi morbi quandoquè prorſus ſilent, interdum magnopere ſæviunt. Quæ conditiones vi-

videntur ſolùm in iis morbis reperiri, qui ab aere fiunt. Variolas fieri à cæca, & non manifeſta aeris qualitate, tali argumento mitar ob oculos mentis ponere. Variolæ æquè fiunt in intenſiſſimo calore, & ſummo frigore, æquè in humido, ac ſicco, ergo ejuſmodi morbi generatio non manifeſtis qualitatibus aeris, ſed potius abditis, & arcanis eſt adſcribenda.

Qui ſic philoſophatur ſæpiſſimè nobis occultas qualitates obtrudet, cum ut plurimùm naturæ effectus non à primis qualitatibus, ſed ab affectionibus mechanicis, mole videlicèt, figurâ, combinatione, motu, ac quiete proficiſcantur, ut legere eſt penes Robertum Boyle in ejus tractatu de formarum, & qualitatum origine. Philoſopho incumbet omni ſedula inquiſitione undequaque rimandi naturam, ut inde cauſſas, quas ſanè oculis cernere, & manibus contrectare nobis datum non eſt, poſſit eruere. Multoties rerum cauſſas non invenimus, quia eas perperam inquirimus, in loco videlicèt, ubi iſtæ deſiderantur, ut modò accidit Fernelio, qui inter primas quatuor qualitates ſibi in animum induxit detegere Variolarum originem, idcircò illius conatus irritus fuit. Qui quatuor Elementis, ac inde emergentibus qualitatibus, omnes naturæ effectus explicare intendit, limitibus nimis anguſtis ampliſſimum naturæ opus nititur coercere.

Nonnulli volunt hunc morbum fieri ab intemperantia, hinc dicunt Veteres, qui frugalius, quam nos vivebant, Variolas, alioſquè morbos, quibus in præſentia vexamur, paſſos non fuiſſe. Dum victus erat ſimplex, juxta Senecæ obſervationem, morbus erat rariſſimus, multa fercula multos morbos fecerunt. Heremicolæ, quorum cibus erant herbarum radices, palmarumque fructus, aqua è proximo fonte, vel flumine hauſta, ac proinde tes ſedantes, non irritantes ſtimulos ad ſumendum cibum, & potum in nobis à natura procreatos, diutiſſimè ſani, incolumeſquè vixerunt, quod etiam ex parte profluere potuit ab animo ſedato, compoſitoquè. Exacta vivendi ratio verum elixirum potabile (inquit Cardanus) quo vita ſana ad centeſimum annum, & ultra protrahitur. Galenus, Prodicus, Comarus,

alii

aliique plures ferè ſemper valetudinarii in juventute, à moderatione in victu, firmo ſibi habitu comparato, ad longævitatem pervenerunt. In hanc rem ſic loquitur Bacco Verulamius in hiſt. vitæ, & mortis. – Diæta tenuis, & ferè Pythagorica videtur plurimum conducere ad longævitatem. Ante diluvium, quo tempore

Tutus erat Rhombus, tutoque Ciconia nido.

cum Homines ab Animantium eſu caverent, eorum vita intra anguſtos limites non coercebatur. Hoc tempus Diluvio præcedens, quo Homines frugalitate utentes non ſolum diutius vivebant, verum etiam paucioribus, & levioribus morbis torquebantur, videtur ab Ovidio hiſce carminibus expreſſum.

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Plerumque dominis ſervi, urbanis ruſtici, opulentis inopes fortiores, & valentiores ſunt, rariuſquè ægrotant. Quod ſanè aliunde non naſcitur, quàm à victus diſcrimine: hi namque vilibus cibis, & potionibus utuntur, illi verò undequaque opiparè viventes ſiculas adornant menſas.

Ego de adducta Variolarum cauſſa valdè dubito. Si intemperantia eſt Variolarum radix, cum ſemper extiterint Homines, qui bruta emulantes de ventre tantum ſoliciti fuerunt, in nullo ſæculo iſte morbus deſideratus eſſet. Nunquam Satyricis defuit occaſio Vitellios, Lucullos, Heliogabalos, Apicios, Sardanapalos, Filoxenos, Dionyſios, Titornos, Milones Crotoniatas carpendi, qui ſummum bonum in Gaſtrimargia, & Opſophagia collocarunt. Quod Hominum mores à Socrate, uſque ad præſentia ſæcula perpendenti eſt aperiſſimum. Plato ſui ævi intemperantiam deteſtatur, Civitatemquè huic vitio obnoxiam hoc ſigno dignoſci ait, quod multos Medicos alat. Diogenes Cynicus irridet Homines petentes à Diis ea, quæ in eorum manibus ſita ſunt: dum nimirum ſanitatem efflagitant, quam nimio cibo, potuquè corrumpunt. Galenus calamo non parcit, ubi in illos eſt inſurgendum, quorum Deus venter eſt. Omnes Athletas poſt certamina plurimum veſci ſcribit Athenæus, quo-

cur-

circa Euripides in Autolyco canit innumeris in Græcia malis exiſtentibus nullum eſſe Athletarum genere deterius, quippe quod ventri obediret, atque inutile eſſet, convitiisquè Græcos inſectatur, qui ad illorum ſpectacula conveniebant. Lancelottus, qui ſibi in animum induxit probare præſentia ſæcula prӕteritis deteriora non eſſe, de pluribus Hominibus, qui Veterum, & Recentiorum temporibus in uſu cibi, potuſquè à Medicorum regulis aberraverunt, fusè verba facit. Si intemperantia Variolas parit, ſobrietas deberet hunc morbum arcere, qui tamen promiſcuè utramque Hominum claſſem invadit. Quamvis Bononiæ nobiles nunquam ſinant ſuos filios uſque ad ſatietatem comedere, cum eos ſanitatis gratia fame vexari gaudeant, adhuc tamen nequeunt in illis Variolarum geneſim inhibere. Ultro concedo Antagoniſtis plures alios morbos ab intemperantia prodire, quales ſunt ſæpe Cachexia, Hydrops, Aſthma tam humorale, quam convulſivum, obſtructiones, corporis, animique torpor, & aliæ ægritudines. Eccleſiaſtes cap. 37. noli, inquit, avidus eſſe in omni epulatione, & neque te effundas ſuper eſcam. In multis enim cibis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit uſque ad choleram, propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam. Sanè dum Homines plùs cibi ingerunt, quàm patiantur muſculi, & fermenta primis viis inexiſtentia, chylus ritè non elaboratus præfatorum morborum author eſt. Immò non ſolum diſpoſitiones ad mortem, morbi videlicèt, ſed mortem ipſam ſæpe infert crapula — Solemne eſt, inquit Lovver, lauto, & pleno victu ſemper utentes, atque ebrios frequenter ſuffocari, niſi larga, & matura venæ ſectione, aut clyſteribus aliqua pars crapulæ detrahatur, quò liberè rurſus circulatio fiat. Qui in Senectute ſanus vivit, Juvenis ſobriè vitam traduxit, intemperantia ſiquidem in Juventute Senectuti, ubi ad illam pervenitur, bellum indicat, quod hiſce carminibus videtur innuere Ovvenus

Quæ caruit vitiis dulcis ſolet eſſe ſenectus
Contra moroſa eſt quæ vitioſa fuit.

Qui brutorum ad inſtar ventri indulgent, ut corpori præfatas noxas inferunt, ita præcipuum Hominis deprimunt potentiam: Ventri omnium primum obſiſtendum eſt, atque imperandum,

ait

ait Pythagoras: cibus enim haud modicè ſumptus corpori pariter, atque animo nocet, & quo pinguiorem aqualiculum, eo minus ſolertem reddit mentem. Ubi à crapula mens obtenebratur, vitia, quæ prius fræno coercebantur, libertatem adepta, quid ſibi libet moliuntur. Jus datum eſt ſceleri, ubi in contubernium admiſſa eſt intemperantia. Ebrius Clitum ſuſtulit Alexander, Noe pudorem tot ſæculis conſervatum in vino demerſit. Triumvir Antonius à vino in Hippiæ nuptiis, largiter hauſto, temulentus redditus ſummam dignitatem, coactus poſtridie in Populi Romani conſpectu vomere, fœdavit enormiter.

Quibuſdam viſum eſt Variolarum cauſſam eſſe principium quoddam inconſpicuum ab ipſis divinum, & mirabile appellatum. Divinum nuncupant, quia per eos inſigniter abludit à rebus ſenſui obviis, naturalemquè ordinem prætergreditur quod proinde nobis admirari, non ſcire datum eſt. Qui ita ſentiunt Hyppocratis, Galeni, Celſi, Avicennæ, Mercurii Triſmegiſti, aliorumque fulciuntur auctoritate ſcribentium pluribus morbis aliquid divini ineſſe, Authoremquè Naturæ aliquando à conſueta operandi methodo recedere, quò noſtra plectat peccata. Sacra quoquè Scriptura in Exodo, Levitico, & alibi teſtatur morbos populares, Ultore Deo, & ſcelera noſtra vindicante, immitti.

Verum ut iſti piè admodum, & chriſtianè loquuntur, ita ſi philoſophicè, & medicè res expendamus, hujus morbi cauſſam rimari tenentur. Ea ſanè, quæ fiunt, eſto inuſitata ſint, ut plurimum à cauſſis ſecundis proficiſcuntur. Poſt accuratam cauſæ indagationem, fruſtratoſquè noſtros conatus, cum illa poſſit in naturæ ſacrario latitare, non ſtatim ad Deum confugendum eſt, ſed iterandus eſt labor, novæquè inquiſitionis viæ tentandæ ſunt, ut illam tandem aſſequamur. Veteres Philoſophos, qui naturam in ſe ipſa non inquirebant, vel ſi quandoque (quod tamen rariſſimè præſtabant) naturæ ſcrutinio per obſervationes, & experimenta vacabant, res abſolutas contemplabantur, quot, quantæquè cognitiones latuerunt! quæ Recentioribus rerum primordia ritè inſpicientibus innotuerunt, ut videre eſt in ovo incubato, ſeu generatione pulli.

Juxta

Juxta VVilliſium Variolarum origo pendet ab utero. Per hunc Doctorem in muliebri utero reſidet peculiare fermentum, quod ſanguineæ maſſæ communicatum illi vigorem conciliat, ob quem ſtatis temporibus turgeſcendo, ſanguini ſuperfluo in utero viam recludit. Porrò tempore conceptionis, cum omninò ſupprimantur menſtrua, portio hujus fermenti in fœtum translata, diù ibi occultatur, donec à cauſſa evidenti commota cum ſanguine fermenteſcat, ipſique ebullitionem, deinde coagulationem inducat.

Non eſt neceſſe ad habendum in muliere menſtrualem fluxum ab utero, ibi peculiare fermentum collocare: cum ſanguis in loco, ubi natura, deditâ operâ, poſuit modicam reſiſtentiam, propriis viribus nonnihil turgeſcendo, poſſit exitum ſibi parare. Sine ullo fermento ſanguis, qui debet egredi ab utero, quando ob ſtatum morboſum hujus viſceris, ſibi exitum moliri nequit, ſæpe exit per nares, hæmmorhoides, vaſa ſanguinea pulmonum, aliaſquè partes, quarum reſiſtentia ab ejus momento ſuperari poteſt: habet enim natura plures ſemitas, quibus conſulit animalium œconomiæ. Suppreſſa inſenſibili tranſpiratione, multoties procreatur diureſis, vel diarrhæa, fluido, quod per conſtipatos cutis meatus egredi nequit, ad renum, vel inteſtinorum glandulas delato. Admiſſo VVilliſii fermento, non video quomodo illud fermentum, quod in mulieribus parit fluxum menſtrualem, producat tum in fœminis, quam in maribus Variolas. Sanè ſi morbi eſſent ſimiles, cauſſa, quæ procreat unum, alterum quoque gignere poſſet, ut contingit in Eryſipelate, Herpete, ſcabie, aliiſque morbis, qui inter ſe habentes analogiam, ab eodem acido profluunt. Verum cum menſtrua, & Variolæ toto Cœlo inter ſe differant, non videntur ab eodem naſci principio, ubi hoc non agat in ſubjecta diverſa, vel ſi agit in unum tantùm ſubjectum, idem non ſit modò uno, modo altera ratione diſpoſitum. Quod non contingit in caſu noſtro. Per Anglicum Doctorem fermentum, è quo prodeunt Variolæ, & menſtrua, affunditur eidem ſanguini, & in eo auget in utroque caſu turgeſcentiam, cur autem altera intumeſcentia diſponit ſanguinem ad egreſſum e corpore per uteri vaſa, altera verò

ad

ad ſtagnationem, & coagulationem in externa corporis ſuperficie? Si reponatur per unam ex hiſce turgeſcentiis, non verò per alteram aliquod principium, quod habet vim figendi ſanguinem, procreandique Variolas, libertatem adipiſci, igitur cauſſa proxima, & immediata Variolarum erit hoc principium, quod per adauctam fermentationem factum ſui juris eſt, non verò VVilliſianum fermentum. Si dicatur in cute reperiri quodnam principium, quod ibi congerendo ſanguinem, parit deinde Variolas, iſti, non uterino fermento, tribuenda eſt Variolarum procreatio.

Variolæ per Ettmullerum fiunt ex corruptione lactis. Dum lac exotico acido infectum in ſanguinem deducitur, acor illius cum ſale volatili oleoſo ſanguinis luctando, ſeu effervescendo præcipitatur, diuquè latens, tandem quaſi maturatus, effervescentiam febrilem infert, Variolaſque parit.

Nequeo Ettmulleri placito ſubſcribere. In omnium infantium, qui lacte nutriuntur, ſtomacho lac non corrumpitur, cum plures dentur, qui non patiuntur Cardialgiam, Vomitum, Diarrhœam, aliaque ſymptomata, quibus lactis corruptela indicatur, ſed proſpera, toto lactationis tempore, valetudine fruuntur, ac inſigne tunc temporis capiunt ex tali victu incrementum. Cùm Anglis in more poſitum ſit plurimos infantes non lacte, ſed aliis cibis alere, hordeaceis videlicèt, & avenaceis juſculis, quibus admiſcent ovi lutea, emulſionibus amygdalarum dulcium, aut Helmontii pulmento facto ex pane trito, & mele cum tenui cerevifia bullitis, infantes ſic nutriti deberent eſſe immunes à Variolis, quod tamen obſervationi non reſpondet. Hunc verò motem arcendi ab infantium ore, ſtomachoquè matris, aliarumquè mulierum lac, non approbo. Alimentum ſiquidem à natura illis deſtinatum pro nutritione infenſum eſſe nequit, ubi congruo tempore, debitâquè copia exhibeatur. Mulieribus mammæ conceſſæ non ſunt ornatus gratiâ, vel ut ex earum contrectatione cùm ipſæ, tùm amaſii juvenes voluptatem percipiant, ſed ut ſint fontes (prout contingit in aliorum animantium fœminis) alimenti infantum. Na-

tura uberrimum lac à partu ad mammas tranſmittit, quò filius nondum conſolidatis viſceribus, & fermentis, carenſquè dentibus duriori cibo digerendo impar, alimentum concoctu faciliimum habeat. Qui ejuſmodi pabulum infantibus denegat, naturæ injurius eſt, materquè renuens lactare proprium infantem, non tota, & integra ſui filii mater eſt. Profectò eſt improbanda mulier (ut egregiè ſentit Favorinus Philoſophus penes Aulum Gellium) quæ in utero alvit ſanguine ſuo neſcio quid, quod non vidit, & nunc non alit ſuo lacte fœtum, quem videt jam viventem, jam Hominem, jam matris officia implorantem. Ut ſemen, ita lac plurimum valet ad fingendas animi, corporiſquè ſimilitudines, quod in brutis quoquè, plantiſquè contingit. Oves caprino lacte nutritæ durius lanificium, caprino videlicèt magis reſpondens, ferunt. Et ſemina, obſervante Ariſtotele, producunt plantam juxta indolem ſoli, cui committuntur. Arbores lętæ, & nitentes in alium tranſpoſitæ locum ſæpe, deterioris terræ ſucco, moriuntur. Idcircò mirari non debemus quoſdam pudicarum mulierum, & generoſorum virorum liberos improbos, informes, impudicas, & temulentas nutrices ſortitos, corpore, animoquè à Parentibus plurimùm abludere. Ad hos infelices infantes per lac perniſioſo contagio nutricis corporis, animiquè vitia proficiſcuntur. Errant, qui habito intuitu ad facilem lactis corruptelam, indequè ortos varios in infantibus morbos, lactis uſum in illis non approbant. Simili ratione peccavit Lycurgus, qui cum videret Spartanorum plures vino inebriari, illis mandavit, ut omnes vites à terræ ſinu avellerent, ſicquè vini uſu deſtituerentur. Debebat Spartanorum Legislator viti parcere ſuaviſſimum liquorem procreanti, illiſquè indicare aquam vino miſcendam, ne illud uberius ingurgitatum corpori, animoquè noceret. Cęterum Deus (ut inquit Plato 2. de legibus) Hominibus vinum, quaſi auxiliare adverſus ſenectutis auſteritatem pharmacum, largitus eſt, ut rejuveneſcere videantur, & mæſtitiæ nos oblivio capiat, atque ipſe Hominis habitus mollis è duro factus, ut ferrum igni impoſitum, tractabilior fiat. Si volumus damnare lac, quia quandoque moleſtias gignit, quonam nutrimento uti poterimus? cum nullum ſit, quod non poſſit detrimentum inferre. Igitur lac infantibus

aſſu-

inhibendum non eſt, ſed matri, vel nutrici præſcribendum eſt tempus illud exhibendi, debita illius copia ſtatuenda eſt, ut mala ex intempeſtivo, & immodico lactis uſu provenientia arceantur. Ruſticanæ mulieres meliùs quàm urbanæ ſe gerunt in lactationis miniſterio, illę namquè, exemplo à vitulis lactantibus deſumpto, quos ſolum ter in die è vaccæ uberibus lac ſugere ſinunt, rarò infantibus lac exhibent. Cum ergo intervallum exigitum inter unam, & alteram lactis ſumptionem ad illius concoctionem, ponant, ſalubriores habent infantes. Hæ verò, quæ ad quemlibet infantis ploratum mammarum papillam in illius os immittunt, nimiâ lactis copia illum obruunt, redduntquè obnoxium illis morbis, quos adulti à victus intemperantia patiuntur.

C. Chinenſes liberos ſuos à Variolarum contagio tota vitę penodo immunes reddi poſſe credunt, dum mox a partu, ante vaſorum umbilicalium ſeparationem à Placenta, immò ſectione peracta, ante illorum deligationem, ſanguinem vitioſum ibi degentem leni compreſſione extrorſum urgent. Si hęc Chinenſium opinio ſubſiſtit, Variolarum cauſſa è latebris emerſit, procreantur namque Variolæ à cruore ibi degente.

M. Non arridet mihi Chinenſium placitum, nam admiſſâ hujuſmodi cauſſa rariſſimè Homines Variolas paterentur, cum peritæ obſtetrices ſemper ante deligationem è vaſis umbilicalibus ſanguinem exprimant.

Alii opinantur Variolas originem ducere à malignis Cœli influxibus, ut legere eſt penes Lucam Tozzium, à quibus etiam ſentiunt veneream luem, peſtem, alioſquè graves morbos oriri.

Mihi maligni Aſtrorum influxus ſemper ſuſpecti fuerunt ſentienti aſtra motum, calorem, & lucem duntaxat in hæc inferiora dimittere: alia præter hæc tria, ab Aſtris in corporibus ſublunaribus fieri, credat Judęus Apella, ego ſanè non credam. Quando aliquid à Doctoribus traditur nulli ſolido inconcuſſe rationis, vel conſtantis obſervationis fundamento innixum, ego qui, cum cęcus non ſim, alienis oculis duci non debeo, nequa-

 quam

quam illis adhæreo. Philoſophia (ut rectè innuit Delafont) libertatis regnum eſt, in quo perſuadere rationibus, non autem auctoritatibus cogere licet. Diſcutiamus quæſo in præſentiarum tantiſper præcipua Aſtrologorum fundamenta, quibus traduni quarundam ſtellarum ſynodum perniitoſos influxus procreare, qui per vaſtiſſimum ætheris, aeriſquè tractum in terram delati miſeris mortalibus graves inferant morbos. Coitus duorum, vel trium Planetarum, Saturni videlicèt, Jovis, vel Martis in ſignis aereis, aut humanis author eſt peſtis Homines invadentis. Quamobrem hac conjunctione prævisâ Aſtrologus, tamquam Apollo è Tripode, futuram peſtem prædicat. Si petatur, cur præfatorum Planetarum unio in ejuſmodi ſignis, ſit adeò perniitoſa, nube ſuperciliis indita, perinde ac ſi Jupiter è dehiſcente Cerebro Minervam depromeret, reſpondent præfatos planetas maleficos eſſe. Mars ſiquidem eſt ſummè calidus, & ſiccus, Saturnus magnoperè frigidus, Quapropter quando ambo in unum coeant in ſignis humanis, in Virgine nimirum, Geminis, & Sagittario, Homines catervatim peſte ægrotant, moriquè coguntur. Martis porrò ſummam caliditatem colligunt ex inſigni rubedine in illo unicuique obvia, Saturni frigiditatem ex illius magna palliditate. Qui ratiocinandi modus mihi non arridet. Rubedo, & calor ſunt corporum affectiones, quarum una neceſſariò non trahit ſecum alteram idem dictum volo de pallore, & frigiditate. Plurimùm rubet carbunculus, in quo tamen calor deſideratur; calx aquæ admixta pallori magnum adnexum habet calorem. Ut etiam præfatæ paſſiones in Marte, & Saturno vigerent, ubi ſimul uniuntur, deberent ſe mutuò attemperare. Non video qui fieri poſſit, ut illi Planetæ conjuncti, ſervanteſque etiam in congreſſu ſuas paſſiones, tam malefici ſint, ut ſuis influxibus nos debeant interimere. Spatium medians inter Planetas, & Homines ſummæ extenſionis fortaſsè à mente humana non perceptibilis (quod inde haurio, quia Aſtronomi in illa ſtatuenda inter ſe valde diſcrepant) non ſinit excogitatas Planetarum virtutes illæſas ad nos pertingere. Quando qualitates Martis in itinere tranſeunt per medium frigidiſſimum, per ſecundam nimirum Regionem aeris, de quacum aliquid participet extremitas primæ illi contigua, hinc fit

edi-

editiſſimos montes ſuo cacumine ferè illuc pertingentes toto anno nive onuſtos eſſe, nulla mentis agitatione percipere poſſum magnum Martis calorem non attemperari. Ubi ventum eſt ad noſtram atmoſpharam ſcatentem uberrimis effluviis aqueis à multiplici mare, plurimis fluminibus, fontibus, aquis ſtagnantibus extractis, Martis ſiccitas inſignem pati debet alterationem. Tempore æſtivo venti per loca frigida tranſeuntes, ſecumquè vel ad loca remotiſſima aſportantes nitri particulas frigorificas, intempeſtivum frigus acceſſunt. Porrò ſi venti alterantur à locis, per quæ tranſeunt, cur non debent ab iiſdem alterari qualitates aſtrorum (ſive in effluviis, ſive in peculiari motu conſiſtant, qualitati enim perſona demenda eſt) dum in terram immittuntur? Cur pravas influentias Mars, & Saturnus non exerunt, ubi in ſignis e. g. humanis repeŕiuntur? Non prodeſt dicere hoc ideo contingere, quia hæc ſigna humana ſunt. Hæc ſigna ſunt humana, quia ſic appellantur, non quia aliquid humanitatis nanciſcantur. Ut aliquid humanum dicatur, debet aliqua ratione peculiare corpus organicum, mentemquè ſinitam fortiri habentia inter ſe perfectam unionem, ita ut in propriis actibus, & paſſionibus communicent, quod nequit rei purè materiali competere conſortio ſubſtantiæ ſpiritualis deſtitutæ. Admiſſa etiam aliquali humanitate in Virgine, Geminis, & Sagittario, quomodò quæsò hęc influere poteſt in Hominis pernitiem, cum omnia per inſitam à natura legem tendant ad ſui conſervationem? Aſtrologi fortuitò Stellis, & Conſtellationibus nomina indiderunt, ex illorum igitur nomine colligere nequeunt Aſtrorum naturam, & proprietates.

C. Lubet modo Aſtrologorum dignitatem, ſententiamque, ſic ergo me diſſerentem audire ne renuas.

Aſtronomiæ, & Aſtrologię inventores Homines ſapientiſſimi fuerunt, qui diutiſſimis, improbiſquè laboribus indole, & aſſectionibus ſtellarum compertis, illis congrua nomina impoſuerunt. Idcircò quicquid ab illorum ore profluit, tamquam res ab Oraculo profecta, nulla prævia diſcuſſione, actutùm debet admitti. Iis jure meritò plurimis ſeculis ſummus honos eſt habitus, illorumquè doctrinæ inoffenſo pede currere viſæ ſunt. Longa autem temporis præſcriptio, ſummota judicandi liberta-

G 3 te,

te, religione quadam omnium animos occupare debet.
Inſans ſapiens nomen feret, æquus iniqui. 2
audens modo Caldæorum placita in dubium revocare. Iſti viri, humanam indolem ſupergreſſi, utpotè ad Deorum naturam accedentes nec falli, nec fallere potuerunt. Conſtat autem illorum perenni obſervatione, ubi Saturnus, Jupiter, & Mars in ſignis humanis, aut aeris exiſtunt, regiones illis ſignis ſubjectas in graves peſtes incidere, dummodò non adſit beneficus aliorum ſiderum aſpectus, qui illorum pravum effectum inhibeat, ergo peculiarium ſiderum in tali determinato loco coalitus ſub tali conditione ponit in eſſe quamdam vim peſtem in Hominibus procreantem, ac proinde dantur ſiderum influxus, qui modò boni ſunt, modò mali pro diverſa ſiderum unione. Homines ſanè ſub Libra nati juſti, ſub Leone fortes, ſub Virgine timidi futuri ſunt, ſub Cancro in lucem editi progreſſum non facient, quia hoc animal motum habet retrogradum. Non ſolum aſtra ſimul unita influunt in hæc inferiora, verùm etiam ſeorſim ſumpta. Planetæ peculiarem diem in hebdomada ſibi dicatam habent, qua ſuos influxus hiſce diebus natis impertiuntur. Die Solis nati ſunt fortunati, generoſi, hilares, captant amicos, ab omnibus diliguntur, die Lunæ ſunt leves, & inconſtantes, die Martis ad rixas, & bella proclives, die Mercurii eloquentes, ſagaces, genioquè in mercaturam feruntur, die Jovis hilares, & fortunati, die Veneris in voluptates proni, die Sabbati melancholici, reſque inchoatas tardè abſolvunt participantes de Saturni frigiditate. Videmus multoties Lunam in hæc inferiora influere, Cruſtacea ſiquidem in plenilunio ſunt pinguia, majoriſque molis, contrarium verò ſuccedit Luna decreſcente. Dies morborum Critici à Lunæ quadrantibus ortum trahunt, cum ſeptenario numero, illorum ad inſtar, abſolvantur. Omnes Agriculturæ operam dantes, firmis innixi obſervationibus, tradunt ſemina, quò in vegetam plantam explicentur, in novilunio terræ committenda eſſe, ſecus verò, ubi cædenda ſunt ligna, cum ea tunc temporis amputata ſint brevioris ævi, citò enim putreſcunt, & carioſa fiunt. Sol caloris fons, & promptuarium, dum ad varias Cœli plagas pervenit, quatuor anni tempora procreat, obquæ plurimæ mutationes in hiſce inferioribus fiunt. Hic Plane-

ta

ta motu turbinativo à Galileo primùm teleſcopio detecto circa proprium axem ſpatio 27. dierum rotatus motum nequit non communicareætheri ſibi contiguo, à quo poſtea derivatur in aerem, aquam, terram, & mixta globo terraqueo inexiſtentia. Ubi ad Cœli verticem accedens terram ſuis radiis ferè, vel omnimodè perpendiculariter ferit, tunc inſigni fermentatione in ſuccis intra terræ ſinum captivatis procreata, laxatiſquè mixtorum, & precipuè Plantarum meatibus, tota terra in ſuperficie virorem induit, ſeminibus, quibus imbuta eſt, ſe ſe in plantas explicantibus. Plantæ perennes ſuis radicibus infixæ terræ, aſcendentibus per illarum tubulos ſuccis, incipiunt, ut pluriinum, primo frondes promere, deinde flores, poſtmodum fructus. Ex hactenùs dictis apertè colligitur ſubſiſtere id, quod Ariſtoteles in primo Metheororum cap. 2. docet omnem videlicèt virtutem inferiorem à corporibus ſuperioribus, ſeu cœleſtibus gubernari. Energia tamen cauſſarum ſublunarium non adeò à corporum cœleſtium motu dependet (quemadmodum quibuſdam Philoſophis viſum eſt) ut ſi ille ab Authore naturæ repente ſiſteretur, actutum iſta cogeretur otiari, id non ſtatim, ſed tractu temporis contingeret. Ly tamen tractu temporis debet (ut cum Scholis loquar) in ſenſu accommodo ſumi. Me non latet tempus, quod Solis motui eſt alligatum, in hac hypotheſi evaneſcere ſolum aliquandiù remaneret tempus ab horologis indicandum. Corpora cœleſtia indirectè concurrunt ad alterandas operationes à mente corporis miniſterio utente profectas: cum enim à corporibus cœleſtibus alteretur ejuſmodi corpus, operationes Animæ rationalis corpus informantis, & ipſæ mutationem ſubeunt. Anima noſtra in ſtatu unionis cum corpore, eſt ad inſtar cujuſdam Hominis coacti oculos alicui fonti obverſos ſemper detinere, qua neceſſitate preſſus non videbit niſi illa objecta, quæ ei per illum fontem exhibebuntur. Quare ſi aqua fontis omnimodè diaphana ſit, diſtinctè cernet ſaxa, arenam, & alia in fundo fontis exiſtentia; ſi verò aqua, vel ex omni, vel ex aliqua parte opacetur, aut moveatur, vel non videbit, vel confuſe intuebitur objecta, quæ antea clarè attingebat in fonte. Idem prorſus accidit menti organicum corpus actuanti, ut ipſa intelligat ſe debet convertere ad phantaſ-

 mata

mata exiſtentia in cerebro, quæ ſi clara ſint, limpidæ erunt mentis cognitiones, ſi ſecus, mens in ſuis operationibus claudicabit. Viri literarum quibuſdam diebus acutiſſimum ſortiuntur ingenium, ita ut illorum intellectui nihil impervium ſit alius verò temporibus mentem valde obtuſam habent. Porrò cum Anima rationalis ſemper eadem ſit, omnes iſtæ mutationes à claritate, vel perturbatione phantaſmatum proficiſcuntur. Quæ ſpecies ſanè à corporibus cœleſtibus ſubinde alterantur. Innumeræ denium Aſtrologorum prædictiones indicatum effectum ſortitę divinatoriæ Artis pondus evincunt.

M. En Hominem ſub diſcipuli larvâ latentem, quem ſermo ſæpè Philoſophum prodit præſtantiſſimum. Cum Aſtrologiam ſtrenuos ad tuendum ſuum regnum ſortiatur milites, vix audeo amplius in arenam deſcendere, nequè libenter à pugna ſubducerem, niſi ad illam ineundam Hominum huic arti infenſorum acres ſtimulos experirer.

Nihil Philoſophus admittere debet, quod prius acuratè diſcuſſum non fuerit, eſtò illud à Viris ſapientiſſimis proponatur. Cæcus eſt qui alienis oculis utitur. Pſitacorum morem ſequitur qui res profert ſibi incompertas. Quod aliquot annorum millibus ab Hominibus factum fuiſſe vehementer doleo Naturam in libris, non verò in ſe ipſa inquirentibus. Caldęi fuerunt utique ſagaces Viri, qui Aſtrorum contemplatione delectati Aſtronomiam primò, deinde Aſtrologiam condiderunt, ut colligitur ex hiſce elegantiſſimis doctiſſimi Georgi Bucanani carminibus ex ejus ſphæra deſumptis

Caldęi proceres (ſic fama eſt prodita) vaſtis
Cum campi ineolerent æquor, lateque pateret
Ætheris immenſi partes proſpectus in omnes,
In numeros primi ſtellas, & nomina certa
Digeſſere, ſuis ſignantes aſtra figuris.
Illiciebat enim menteſquè, oculoſque benigna
Temperies, aer tranquilla luce ſerenus,
Semper, & aſtris facies innubila Cœli.
Ergo propoſiti victrix induſtria, certis

Fini-

Finibus, & ſpatiis numerorum incluſit Olympum.

Quamobrem iſtos utriuſque diſciplinæ magiſtros fatemur eſſe. Debent tamen (ut inquit Bacco Verulamius) diſcipuli Magiſtris temporariam ſolum fidem, judiciiquè ſuſpenſionem, donec penitus artes imbiberint, non verò plenam libertatis ejurationem, perpetuamquè ingenii ſervitutem — Sapientiam ſibi adimunt, inquit Lactantius, qui ſine ullo judicio inventa majorum approbant, & ab illis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur, aut illi deſipuerint, quod majores nuncupantur. Ridiculum dictu eſt Caldęos ad Deorum naturam acceſſiſſe, illoſque Deorum ad inſtar nec falli, nec fallere potuiſſe. Qui morti obnoxius eſt, diutiſſimis, improbiſquè laboribus paucas, mancaſque ſibi comparat notitias, & ratiocinatur, toto Cęlo a Diis diſtat, qui mortis expertes ſunt, ludendo, ut ſic dicam, cujuſcunque rei comprehenſionem habent, ſumpta comprehenſione prout à Divo Auguſtino definitur, pro cognitione videlicèt, qua ita cognoſcitur objectum, ut nihil ad aliud attinens lateat cognoſcentem, & minimè ratiocinantur: nam cum Deus ſit ens ſummè perfectum, ac ratiocinari imperfectionem involuat, hæc operatio in Deum cadere nequit; ratiocinatur, qui res ſtatim non cognoſcit, ſecus verò, qui omnia primo intuitu attingit.

Nutantem modo Aſtrologiam, quam obſervationibus firmare niſus es, nequis profectò à lapſu ſubducere. Peſtes ſubinde fiunt, nullo exiſtente Planetarum, qui malefici ab Aſtrologis dicuntur, coalitu. Peſtis nunc Maſſiliam depopulatæ, & ad finitimas progreſſæ Civitates maleficorum Planetarum ſynodus author non eſt, cum ejuſmodi congreſſus modò in rerum natura non detur. Peſtis, quæ anno 1630. per Italiam graſſata inſignem ſtragem edidit, à malignorum ſiderum coalitu, influxuque ortum non traxit. Sæculo elapſo factæ ſunt conjunctiones ſuperiorum Planetarum in ſignis humanis, non exiſtentibus benignis aliorum ſiderum aſpectibus, & tamen in Civitatibus illis ſignis ſubjectis peſtis genita non eſt. Conjunctio Planetarum ſuperiorum facta eſt anno 1603. die 19. Novembris. Erat illa conjunctio Saturni, & Jovis in gradu 9. Sagittarii. Iſte gradus

eſt

eſt in prima Sagittarii medietate, quæ inter ſigna humana recenſetur, eique ſigno ſubjacet Civitas Avenionenſis, ac proinde in hac Civitate debebat procreari peſtis, quæ tamen illam non invaſit. Tunc temporis tantum abeſt, quod adeſſet beneficorum Planetarum aſpectus maleficorum effectum inhibens, ut potius eadem die haberetur quadratus Martis cum Sole, quem omnes Aſtrologi malum eſſe tradunt. Alia magna conjunctio facta eſt anno 1663. menſe Octobris, circa diem, & horam diſſidentibus Aſtronomis, ut ex dicendis inferius conſtabit. Erat illa conjunctio Saturni, & Jovis in decimotertio gradu Sagittarii, cum verò iſte gradus ſit in prima Sagittarii medietate, quę ſignis humanis attribuitur, iiſque ſubiciatur Avenio, hanc Civitatem debebat peſtis invadere, quod tamen factum non eſt. Non me latet, ad eludendas has maximas difficultates, Aſtrologos quædam effugia excogitaſſe quod videlicèt prędictorum Planetarum uniones non ſint factæ in domo octava, ſeu domo mortis: quod cauſſarum inferiorum concurſus defuerit neceſſarius, ut cauſſæ cœleſtes in actum erumpant, quorum invaliditatem ſic evinco. Diſpoſitiones requiſitæ in Hominibus, ut evadant peſtis ſubjectum, nequeunt eſſe niſi cacochymia, obſtructiones, virium languor, vel contra, ſi cauſſa productiva peſtis ſit irretita, & concentrata, magnum naturæ robur exigitur, ut vis deleteria ab exoticarum rerum vinculis expediatur. Quæ duo profectò in cujuſcumque regionis Hominibus ſemper reperiuntur. Si verò in alio conſiſtant, hoc in propatulo ponatur. Si ad peſtis geneſim requiritur conjunctiones Planetarum ſuperiorum in domo mortis fieri, quinam Aſtrologus poterit certò prędicere peſtem in aliqua regione futuram? cum ferè impoſſibile ſit perfectam magnarum conjunctionum figuram erigere, ad quam efformandam exactiſſimè hora conjunctionis debet eſſe comperta, quæ ut plurimum latet Aſtrologos, quod evincitur perpendendo quid ſcripſerint Doctores cæteroquin graviſſimi de indicata magna conjunctione anni 1663. Ea ſecundum Argolum contigit die 21. Octobris hora 2. poſt meridiem, ſecundum Eixtadium eadem die h. 16. poſt meridiem, ſecundum Keplerum die 19. h. 14. poſt meridiem, ſecundum Malvaſiam die 15. Octobris h. 8. poſt meridiem, denique ſecundum Ricciolum

lum die 10. præfati menſis h. 7. poſt meridiem. Anno elapſo 1721. menſe Octobris Avenio peſte laboravit, quamvis non adeſſet ſuperiorum Planetarum ſynodus.

Quoad operationes, quas in multis rebus ſublunaribus à Luna per ſuos influxus fieri tradidiſti, ſic reſpondeo. Ariſtoteles in Problematibus explicaturus, qui teſtacea interius mole augeantur, & pingueſcant in pleniluniο, non confugit ad influxus, ſeu qualitates occultas hujus Planetæ, dicit ſiquidem hoc fieri, quod noctes tepidiores ſint ob lucem pleniorem, calorem enim deſiderant, quoniam frigori patent. Criſes non à Lunæ quadrantibus fiunt, ſed à principio intrinſeco, quod cummodò vegetum ſit, modò victum, nunc citò, nunc tardè concoquit materiam morboſam, eamque ſubactam, ſecretamquè à partium utilium conſortio è corpore eliminat. Perfectæ Criſes quibuſcumque diebus contingunt, ut vèl evolventi libros Epidemiorum Hippocratis (quod mehercule me in admirationem rapit) apertiſſimum eſt, ac proinde à veritate recedit Baglivius, dum doctrinæ de diebus criticis ab Hippocrate traditæ adhærens ſcribit Medicum intempeſtivo, & ſtulto purgantium, diaphoreticorum, aliorumque hujuſmodi medicamentorum uſu naturæ motus turbare etiamſi Medicus otietur, nullumquè prorſus exhibeat remedium, adhuc tamen pro diſpari naturæ robore, majori, vel minori materiæ morboſæ contumacia, variis anni temporibus, regione, aliiſque cauſſis (quod ipſum, veritate cogente, fatetur quoque Baglivius) Criſes ſæpe diverſis ab indicatis per Hippocratem, abſolvuntur temporibus. In hoc igitur caſu, cum Medicus culpari nequeat, dierum criticorum ab Hippocrate propoſita doctrina corruit. Præfatas Agricolarum obſervationes multi floci faciunt, inter quos reperitur Carolus Stefani, quem de Agricultura fusè ſcribentem plurimi comendant. Celeberrimus Aſtronomus Geminianus Montanari ſcribit ſe diù moratum fuiſſe in quadam regione, ubi agrorum coloni rurales operationes facturi, nullum habebant ad Lunam reſpectum. Ego & ipſe vidi ſæpe ligna cæſa in novilunio diutiſſimè conſervata nullam cariem contraxiſſe. Semina quoque, Luna decreſcente, terræ mandata, dummodò ſolum ſit ritè ſubactum, pingue, & in aprico poſitum, in plantam feliciter excreſcunt.

In

In hanc rem ſic ſcribit doctiſſimus Purchotius – Quod verò circa ſationem frugum, vel inſitionem arborum, vel vitium potationem &c. obſerventur vulgò Lunæ phaſes, aut diverſi aſpectus cum aliis Planetis, id ad rem non pertinet, ut multi aliquot ab hinc annis ſtudiosè ſunt experti. Multa ſanè ab Hominibus temerè dicuntur, & inconſideratè creduntur. In rebus naturalibus ingenuè fatebatur Franciſcus Rhedi ſe nemini credere, cum plurimi propriis deſtituti obſervationibus, nobis aliorum obtrudant commenta.

Indicatos à te Solis effectus, & ipſe admitto, aliosquè à calore, & motu corporum Cęleſtium pariter emanantes in dubium non revoco, ut conſtat ex ſuperius traditis. Explodo duntaxat influxus, qui Conſtellationibus fortuitum nomen ſortitis, habito ad illud nomen intuitu, attribuuntur, illoſquè, qui velint, nolint Aſtrologi, liberum arbitrium deſtruunt. Inter innumera mendacia Aſtrologorum quandoque fortuitò aliqua veritas reperitur, quam è congerie tot mendaciorum extractam ſemper ob oculos Hominum ponunt, ut ſuæ arti pondus, & venerationem concilient; cumquè Homines genio in futurorum ſcientiam ferantur, ſubinde inveniuntur, qui pronis auribus hujuſmodi prædictiones excipiunt. Idcircò de Aſtrologis loquens Cornelius Tacitus ſic inquit – Genus Potentibus inviſum, quod ſemper damnabitur, & ſemper retinebitur. Præfatus Aſtronomus Geminianus Montanari annua vaticinia nulla certa arte, ſed caſu efformabat (ut nobis Bononienſibus, & Patavinis quoquè Civibus eſt exploratum) quæ tantam famam contraxerant, ut illa, quæ juxta artem concepta erant, auctoritate antecellerent. Cæteroquin Aſtrologi ut plurimùm in ſuis vaticiniis mentiuntur. Cicero de Caldęorum ſui ævi prædictionibus ita ſcribit – Quam multa ego Pompeo, quam multa Craſſo, quam multa huic ipſi Cæſari à Caldęis dicta memini, neminem eorum niſi in ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum: ut mihi permirum videatur quemquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prędicta quotidie videat re, & eventis refelli.

Etſi Aſtronomia, ſi ad divinatoriam artem referatur, floci facienda ſit; ſub aliis tamen expenſa rationibus nunquam ſatis poteſt comendari. Nautæ navium curſus per vaſtiſſimum Oceanum

Stel-

Stellarum dirigunt intuitu. Geographi locorum diſſitorum ſituationem, Aſtronomicis deſtituti obſervationibus, ignorarent. Cronologia, quæ tota circa civilem annorum, & temporum diſtributionem occupatur, periodorum Solis, & Lunæ nititur cognitioni. Ut ad ſua tempora eventus ab Hiſtoricis traditos referamus, ſæpe Eclipſium Solis, & Lunæ tunc obſervatarum calculis utimur. Si in Aſtronomia nihil aliud occurreret, quam veritatis cognitio, ea nos ſumma perfunderet voluptate. Aſtronomicæ cognitiones, quę Senecę ævo, ob teleſcopii defectum, intra anguſtos limites coercebantur, adeo hujus Philoſophi mentem recreabant, ut in præfatione libri primi Naturalium Quæſtionum ſic ſcripſerit — Virtus iſta, quam affectamus, magnifica eſt, quia animum laxat, & præparat ad cognitionem cœleſtium, dignumque efficit, qui in conſortium Dei veniat. Tunc conſummatum habet, plenumquè bonum ſortis humanæ, cum calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturæ ſinum venit. Tunc juvat inter ſidera vagantem divitum pavimenta ridere, & totam cum auro ſuo terram, non illud tantum dico, quod egeſſit, & ſignandum monetæ dedit, ſed & illud, quod in occulto ſervat Poſterorum avaritiæ.

C. Latrante ſtomacho non amplius percepturus tuam doctrinam mihi ceteroquin gratiſſimam, hîc morari poſſum; cum cogar ad ſedandam hujus viſceris moleſtam irritationem, ad menſam quamprimum accumbere. Sol ipſe ad meridiem accedens nos monet tempus adeſſe domum redeundi, cujus conſilio, ubi citò non obtemperemus, nobis hoſpitium tandem adeuntibus moleſtus erit.

M. Ego quoque diù per aſtra vagatus me ſolito magis famelicum eſſe ſentio, adaucta fortaſſe ab aere in ſanguine degente fermentatione, qui ab ambiente fluido minimi ponderis modicè preſſus ſuum elaterium potenter exerens, omnes ſuccos neceſſarios pro actuando corpore, citiſſimè præparavit. Quęcumque cauſa ſit, ego pariter fame vexor, timeoquè acriorem Solis vim, hinc igitur libenter diſcedo.

CON-

TERTIUS CONGRESSUS.

Marcellus, & Camillus.

M. HOdie nobis domo egredi datum non eſt, Terra ſiquidem ob heſternam veſpertinam pluviam nimis madefacta congruum decumbentibus locum non præbet; ac venti, qui in hoc excelſo colle, nunc vehementiſſimè flando, vegetabilium generi totale minantur excidium, nobis quoque valdè moleſti eſſent. Multa arborum cacumina per aerem volitantia, ſibiquè mutuò occurrentia inter ſe præliari videntur, ex hujuſmodi plantis proceriſſimæ, maximo impetu contracto, radicibus è ſolo evulſæ ſunt quæquè hactenus ſtare videntur, nequeunt diù hiſce validiſſimis concuſſionibus obſiſtere. Vites, quæ fulcra capreolis tenaciter amplectentes in altum nitebantur, ventorum vi fractæ, diſiectæquè jacent. Uberrimi fructus, qui nobis jucundiſſimum ſpondebant Autumnum, per vaſtiſſimum æquor feruntur. Heu quò tendunt improbi Agricolarum labores.

Abſtulit una dies quicquid prius ſerat annus.

C. Profectò nihil eſt tam utile, quod idem infenſum eſſe nequeat. Venti, qui cæteroquin proficui ſunt, blanda ſiquidem plantarum ſuccuſſione, illarum tubulos recludunt, vel patulos detinent, effluviorum diverſæ indolis aeri inexiſtentium ſalubeant corruptionem, recepti intra domos, aerem ibi contentum agitando ſalubriorem reddunt, æſtivum aeris calorem attemperant, per loca frigida tranſeuntes ad nos deferunt nitri particulas ad ignis geneſim, glaciei procreationem, terræ fertilitatem, ſanguiniſquè ſubactionem neceſſarias, navium per mare remigibus impulſatum motum accellerant, aliiſquè nominibus ſunt comendandi, modò plus æquo moti, ac inter ſe debaccantes magnam naturæ partem ſùs, dequè vertunt. Hanc tamen naturæ perturbationem, aliaſque longè graviores pacato animo ferre debemus. Me ſanè, fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Firmis medium occupantem viribus,

nec

Digitized by Google

nec triſtis opprimit, nec jucunda corrumpit fortuna, ut utriuſque expertus nos docet præceptis, & exemplo vir magnæ notæ Boetius. Iſte ventorum fragor noſtros philoſophicos ſermones inhibere non debet. Senecam ſupra balneum habitantem varius ſtrepitus undique circumſonans, omnia vocum genera cùm fortiorum ſe ſe exercentium, manuſquè plumbo graves jactantium, tùm laborantes imitantium, manus modò planæ, modò concavæ alliſæ humeris varius crepitus, in piſcinam cum ingenti aquæ ſtrepitu ſalientes, canentes, lugentes, conviciis ſe ſe mutuò proſcindentes, aliaquè innumera peragentes à meditatione non avocabant. Maximo detrimento à ventis nobis, colonisquè advenienti, congeſtum ad multos annos in horreis triticum, clauſi in arca nummi proſpicient. Qui divitiis affluit, omnia poteſt moliri, immò, & abſolvere.

———— quid vis, nummis præſentibus, opta,
Eveniet, clauſum poſſidet arca Jovem.

M. Ego quoque utriuſque fortunæ ſine ulla gravi commotione, capax ſum: mihi ſiquidem Ethicâ ejuſmodi animum comparavi, qui –

Fortis, & in ſe ipſo totus teres, atque rotundus
Externi ne quid valeat perlæve morari
In quem manca ruit fortuna.

hiſce externis leniter concutitur, neutiquam verò proſternitur, ac proinde me nunc, ut antea, differentem audies.

C. Altius ſolito loquare, ne ventus conſuetæ vocis ſonum minuendo, mihi tuæ mentis eripiat conceptus.

M. Me altiori tuba ſic loquentem audi. Cum Viri graviſſimi in inquirenda Variolarum cauſſa à veritatis ſemita longè aberraverint, ut heſterna die intellexiſti, Ego qui cum illis non ſum comparandus, cœperam animum deſpondere circa hanc rem aliquid detegendi, quod ad veritatem accederet, inchoatumquè opus non amplius conatus eſſem, tuo uſus auxilio, ad umbilicum perducere, niſi meam penè proſtratam mentem Galenus in lib. de uſu reſpirationis cap. 1. hiſce verbis erexiſſet –

Au-

Audendum, & veritas inveſtiganda, quam & ſi in omnibus non aſſequamur, omninò tamen propius, quam nunc ſumus, ad eam perveniemus. Quamobrem hoc Galeni monito firmato animo, diù elapſa nocte meditando, in eam veni ſententiam Variolas naſci ab aliquo principio exotico è terræ ſinu ad aerem progreſſo, quod Veterum temporibus hîc deſiderabatur.

Quicquid ſub terra eſt in apricum proferet ætas.

Ob validas terræ concuſſiones à ſubterraneis ignibus, vel à ventorum impetu procreatas, cenſeo, è recluſis terræ viſceribus, emerſiſſe quædam effluvia, à quibus Variolæ proficiſcantur. Profectò innumera venena in terræ viſceribus reconduntur, ut præ reliquis, exploratum eſt Metallorum foſſoribus, à quorum halitibus reſpiratione hauſtis, vel chyli ſemitâ in maſſam cruentariam deductis, coagulato, vel fuſo ſanguine, illorum vita, niſi perniciſſimâ fugâ ſibi caveant, repentè deſtruitur. Alia quoque ibi abdita ſunt venena, quorum obtuſa vis ſenſim viventibus perniciem ſtruit, qualia ſunt halitus ab hydrargiro prodeuntes, qui Metallariis, poſt paucorum menſium fluxum, tremorem, vertiginem, paralyſim inferunt. vixque iſti miſeri artifices tertium annum attingunt. Refert Agricula apud Carpati montis fodinas obſervatas fuiſſe mulieres, quæ ſeptem viris nupſerunt. De metallorum foſſoribus ſic ſcribit Lucretius.

Nonne vides, audiſve perire in tempore parvo
Quam ſoleant, & quam vitai copia deſit?

Idcircò qui gravium ſcelerum authores erant, vel qui illis reputabantur obſtricti, ut Chriſtiani Gentilium tempore, ad metalla damnabantur.

Venenum Variolarum author ab aere hauſtum quandoque diù in ſanguine deliteſcit, antequam in actum erumpat. quod evenit quoque in fermento à Cane rabido per morſum communicato, ut conſtat ex dictis in primo congreſſu. Venereæ luis character (ut advertit Baglivius) quandoque 30., & plures annos ſanguini inhæret abſque ulla moleſtia, & incommoda patientis valetudine, deinde recrudeſcit repente magnâ ſymptomatum vehementiâ. Petrus Borellus in ſuis centuriis plures hiſtorias congerit morborum à Parentibus filiis communicatorum,

Multa Pater, Materque valent transfundere natis

Tran-

Tranſit, & in ſeri jura Nepotis avus.

quorum cauſſæ diù in filiorum corporibus inertes manſerunt, poſtmodùm, emergente peculiari diſpoſitione, ſuos effectus ediderunt. Semina lepræ, & ipſa pluribus annis in corporibus abſconduntur. Ego curavi remediis ſale volatili ſcatentibus Equitem Bononienſem, qui decem annos tumorem magnitudinis ovi columbini durum, & indolentem in inguine dextro geſtavit; poſt hujus tumoris evaneſcentiam, ſtatim procreata eſt febris ex ardentium genere, quam excepit Eryſipelas univerſale, quod videbatur ſedem in capite fixiſſe: ibi namque factus erat tumor rubeus cum calore tam enormis magnitudinis, ut caput ſextuplo, & etiam plus, mole naturali majus eſſet. Materia morbifica, quæ diù, ob fixationem, otiata fuerat in inguine, per energeticum remedium emollita, & ſubacta, inquè ſanguinem deducta, ibi talem procreavit orgaſmum, ob quem ſubſecutum eſt ejuſmodi Eryſipelas, facta particularum acido-volatilium in tota cute, & præcipuè in capite metaſtaſi. Quemadmodùm autem hæc morboſa cauſſa pluribus annis torpida manſit, & velut lethargo oppreſſa in corpore, donec evigilare coacta ab indicato remedio, inſignem cùm in ſanguine, tùm in externa corporis ſuperficie peregit tragædiam, ita etiam Variolarum ſemen in inſpiratione hauſtum ab aere, vel alia ſemita cruori communicatum, interdum diu abditum manet in vitali fluido, donec congruam nactum occaſionem, ſuam vim prodat.

C. Qui poteſt Variolarum cauſſa otioſa tamdiù in corpore morari, idem inquiro de aliis cauſſis operandi vim ſolum poſt longum temporis fluxum exerentibus, ut à te modò indicatum eſt?

M. Variolarum ſemen (idem de aliis cauſſis intellige) nonnumquam adeò irretitum eſt à craſſis, glutinoſiſquè materiis, ut niſi in corpore vegeta inveniat fermenta, vel validos muſculorum patiatur motus, ſemper vinctum maneat, ſicquè nequeat operari. Nil mirùm ergo quoſdam, tota vitæ periodo, numquam vexari Variolis. Annis nuperrimè elapſis penes nos, per totam Italiam, graſſata eſt peſtis, quæ ſolos boves inva-

dens, robuſtiores interimebat, debilioribus in vita permanentibus. Ad explicandum hoc phænomenon, niſi me convertam ad cauſſam peſtis valdè irretitam, quæ inveniens in vegetorum, non verò debilium boum ſtomacho validiora fermenta, vel ibi fortiùs agitata (ſic loquor, quia cibariorum digeſtio fortaſſe fit per triturationem, & pituram, ut ſentit Pitcarnius Eraſiſtrato adhærens, non verò fermentorum miniſterio ablegandorum ad piſtorum officinas) fiebat fur juris, ingenuè fateor me illud aliter explicare non poſſe. Hac de cauſſa peſtis Noviomagenſis accuratiſſimè à Diemerbrochio deſcripta, quæ anno 1630. Homines corripuit, ſenibus, & cacochymis corporibus pepercit, idem pariter vidit Bonlius in ſui temporis peſte, dum ſic ſcribit – In nupera peſte obſervavi Medicos, Chirurgoſque juniores, quamvis ratione ætatis ſibi magis fidentes, virulentiæ illi, præ ſenibus, frequentius ſucubuiſſe.

C. Rationi abſonum eſt effluvia excogitata ad explicandam Variolarum geneſim, quæ, præfatis de cauſſis in atmoſpheram eruperunt, per totum Mundum diſperſa fuiſſe, cum modò nulla detur Mundi nobis cogniti pars, in qua Homines, & præcipue pueri, Variolis non corripiantur.

M. Halitus venenati non in una tantum regione, ſed in pluribus, iiſque à ſe diſſitis, à terra eruperunt. dantur enim plurima loca ignivoma maximo intervallo disjuncta, montes videlicèt, antra, & terræ ſuperficies. Ab ignibus porrò ſubterraneis in diverſis locis accenſis, poſſunt peculiaria venena diſſolvi, quæ terreſtri, craſſoquè aere leviora ab hujus pondere preſſa ad ſuperiora ferantur, ibique converſis in propriam ſubſtantiam innumeris corpuſculis in aeris ſinu degentibus, enormiter multiplicentur, ventorumquè miniſterio per totum Mundum diſpergantur. Si dubitetur de exiſtentia ignis in terræ viſceribus, ut nonnulli Recentiores non levibus innixi motivis ſuſpicantur, poſſunt à ventorum in terræ cavernis agitatorum valido impetu venena in minima diſſici partes, ferriquè per indicatam nuperrimè cauſſam in noſtram atmoſphæram.

C. Si

C. Si venenum è terra prodiens innumeras moleculas aeris meatus occupantes ſtatim in ſuam naturam vertit, cur hoc idem non præſtat intra Hominis clauſtra receptum?

M. Ex hoc quod venenum è terræ ſinu egreſſum, aerique immixtum, per converſionem plurium effluviorum in ſuam naturam multiplicetur, non ſequitur hoc venenum ab Homine haustum idem illicò in illius corpore efficere debere: nam, ut dantur quædam venena, quæ ore ſumpta vim deleteriam in ſtomacho exuunt (ejuſmodi eſt viperarum venenum) ita alia poterunt ſaltem ibi vinciri, cumque hiſce compedibus deducta in ſanguinem, hìc diù otiari, donec per peculiarem fermentationem facta ſui juris, in corporis ſuperficie figendo ſanguinem, Variolas pariant.

C. Quotuplici ratione morbi novi, intra quorum claſſem ponis Variolas, procreari queunt?

M. Poſſunt morbi novi ſubinde generari, vel ab indicata cauſa, vel quia in aeris ſinu ex quorundam effluviorum coalitu emergat compoſitum magnæ activitatis, quod nunquam antea factum fuerit, quibuſdam, non verò aliis animalium ſpeciebus inſenſum, cujus partes ſeorſim ſumptæ effetæ ſint, viribuſquè deſtitutæ, vel ſi vires habeant, hæ toto Cœlo differant ab iis novo compoſito competentibus. Antimonium, quod ſe ſolo non eſt remedium Emeticum, Catharticum, aut Diaphoreticum, ſed ſimplex alkalicum abſorbens acida in primis viis, & ſanguine luxuriantia, præfatas virtutes contrahit ex quarumdam rerum illis viribus deſtitutarum miſcella, quodque ab aliorum conſortio ſejunctum nullam poterat noxam inferre, tutòque vèl mulieribus utero gerentibus exhibebatur, & vim habebat præcipue abigendi melancoliam, à ſyntheſi vires ſæpe viventibus pernitioſas lucratur. Ex mercurio, & ſulphure coaleſcit cinnabris ab ingredientium textura, & facultatibus plurimùm abludens. Spiritus vitrioli, & ſulphuris ſeorſim ſumpti remediorum albo adſcribuntur, juncti verò in aqua forti venenum penè conſtituunt,

Quo

Quorundam cibariorum uſus, à quibus abſtinuerunt Veteres, poteſt novos morbos gignere. Majores noſtri diù cucumerem, peponem, malum medicum è ſuis menſis ablegarunt. Carnium uſus, qui, ut refert Nonius, ubi de re cibaria, à Diluvio ab aris ad menſas tranſivit, novos accerſere quit morbos, dumque cæptum eſt veſci carnibus, non omnes animalium partes pro cibo uſurpatæ ſunt, animalium ſiquidem cerebra, adnotante Plutarcho, olim Homines abominabantur, fortaſſe quia ea, quę in animalibus plurimi facienda ſunt, omnes nimirum ſenſus, in capite reſident, vel caput tamquam ſacrum ſacellum colerent, moti à jusjurando, quod capite abſolvitur, vel ob ſternutamenta à capite prodeuntia, quæ ut ſacra adorabant, vel demum ob nutus capitis, quibus eis pacta confirmare in more poſitum erat. Iſte tamen mos veſcendi carnibus perperam invectus eſt. Hominem inter innumera animantia non collocavit natura, ut in illa, quorumdam brutorum ad inſtar, ſæviret, vitamque illorum morte, carnibuſque foveret, ſed quò illius oculis ubique ſuę Omnipotentię occurrerent argumenta. Pythagorici, qui morem veſcendi carnibus, improbabant, ut blande Homines ab illarum eſu abducerent, Metemphſychoſis commentum (ſic mea fert opinio) ſapienter excogitarunt, quò Homines religione tacti eiciendi à brutorum corporibus, Parentum, Amicorum, aliorumque ſuæ ſpeciei animas ibi libenter degentes, animalium vitæ parcerent. Addebant humanos ſpiritus è brutorum corporibus per illorum necem expulſos, diù quandoque per terram, aeremque vagari, donec congruum ſibi viventis corpus nacti, illud ſubirent, præterea, dum domicilium ingreſſuri erant, eos ſubinde inter ſe acerrimè præliari, ubi plures ſimul ad idem brutum, quod ſingulis arrideret, pervenirent.

In ſumptione cibariorum duri, & ſolidi premiſſi mollibus, & ſubtilioribus contra Veterum morem, in quibuſdam ſubjectis plurimum vitiantur: nam hi prius, quam illi diſſoluti, & digeſti, cum nequeant è ventriculo per contractionem fibrarum carnearum ejuſdem, per motum deorſum diaphragmatis, aliaſque cauſſas extrudi, ob nondum abſolutam coctu difficilium digeſtionem illorum deſcenſum inhibentium, plus ęquo ibi moran-

rantes, quandoque vim deleteriam contrahant quibuſdam eorum moleculis in gladiolos valde acuminatos immutatis primas vias inſigniter exulcerantes: cibaria ſiquidem (quicquid ſcribant quidam Recentiores, contra quos pugnat obſervatio) eundem ordinem intra ventriculum ſervant, quem illuc delata adipiſcuntur. Ab hiſce porrò cibis ex indicata cauſſa ad venenorum naturam accedentibus poſſunt novi morbi originem ducere.

Ut è terra erumpunt quædam effluvia, quæ aeri admixta et vim morbos procreandi tribuunt, ita eadem aquæ, quibus utimur, aſſociata facultatem ejuſmodi morbos gignendi conciliare queunt. Dantur ſanè in rerum natura aquæ portentoſæ

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Conſimilis aquę alibi exiſtentis meminit Petrus Borellus in ſuis Centuriis. Exiſtunt duo fontes ſtygii nuncupati, quorum alter in Arcadia, alter in Theſſalia reperitur; primus aquâ frigidiſſimâ ſcatens viſcerum conſtipatione ſtrangulat; ſecundi aqua duntaxàt viſa terrorem incutit, immerſumque æs, & ferrum erodit. In Beroſo Taurorum colle ſunt tres fontes, quorum aqua epota, ut refert Vitruvius, mortem infert. De pluribus aquis mortiferæ naturæ agit Andreas Baccius lib. 6. de Thermis p. m. 211.

Nonnulli adhærentes Democrito pluralitatem Mundorum admittenti, volunt fieri morbos ignotos, ubi diſſoluto uno Mundo, quædam ex corporibus ibi degentibus ad ſuperſtites Mundos appellunt. Hęc opinio graves patitur difficultates: eſt namque ſolidè probandum dari plures mundos (quod nunquam fiet) deinde probatâ plurium mundorum exiſtentiâ, indicandum eſt quanam ratione ejuſmodi corpora alterum Mundum ſubeant: nam hi Mundi, vel inter ſe communicant ante deſtructionem, vel non: ſi primum, deberent ſæpiſſimè portenta in hiſce Mundis videri, cum corpora, quæ ſunt in uno ex hiſce Mundis differant à corporibus alteri Mundo inexiſtentibus (ut videtur innuere Antagoniſtarum ſententia) ſi verò ſint ejuſdem rationis, aliqui Homines exterorum Mundorum quandoque ad

 no-

noſtrum tranſeuntes, nos de iis, quæ in ſuo peraguntur, admonerent. Si autem inter hos Mundos commercium non datur, poſt deſtructionem unius Mundi, qui quædam corpora ex Mundo corrupto ad ſuperſtitem Mundum tranſeunt? Quænam cauſſa iis novum Mundum inquirentibus ſuperſtitis Mundi fores recludit? ſed hęc joci gratiâ dicta ſint.

Ratio Plutarchi ſuperius adducta floci facienda non eſt, qui opinatur novos morbos oriri ob naturam humanam inſigniter alteratam. Ante Diluvium plura centenaria annorum Homines vixiſſe Sacra tradit Scriptura. Iſta longævitas illicò à Diluvio in poſt natis, dimidio caruit, deinde poſt tres generationes, vita Hominum ad quartam quaſi partem ætatis primęvæ redacta eſt, videlicèt ad annos circiter 200.; demum pedetentim terminus iſte eſt adeò imminutus, ut pauci ad centeſimum annum perveniant, excedant pauciſſimi, idque ſolum in peculiaribus regionibus. Cum Imperatorem Veſpaſianum libido inceſſiſſet ſciendi quouſque ſuo ævo Hominum vita protraheretur, anno Domini ſeptuageſimo ſexto, longævitatis faſti viſi ſunt. Tunc enim ubique terrarum de ætatibus cenſus habitus nos docuit, Italiæ partem Apenninum, & Padum interjacentem Longævorum ſedem eſſe, de quibus loquens Bacco Verulamius in hiſtoria vitæ, & mortis, ſic ſcribit – Inventi ſunt Homines, qui annum centeſimum æquarunt, & ſuperaverunt 124. annorum 101 Homines 57. annorum 125 Homines 2. annorum 130 Homines 4. annorum 135, aut 137 Homines itidem 4. annorum 140 Homines 3. Præter hos ſpeciatim Parma vidit 5., quorum tres 120 annos, duo 130 compleverunt. Bruxella unum annorum 125. Placentia unum annorum 131. Faventia unam Mulierem annorum 132. Oppidum quoddam tunc dictum Vellejacium in collibus circa Parmam decem dedit, quorum ſex annos 110., quatuor 120 compleverant. Ariminum dedit unum, qui vixit 150 annos. Noſter Hippocrates, alibi tamen, vixit 104 annos, Galenus verò 140. Iſtis igitur Medicinæ Proceribus, ubi de conſervanda vita præcepta tradunt, fides haberi poteſt. Modò in Septentrione, aliiſque locis frigidis finitimis, Homines ſunt magis longævi, quàm in reliquis Regio-

nibus, cum ibi Homines reperiantur, quorum ætas (ut refert Olaus Magnus) ad centum ſexaginta annos, & ultra etiam progreditur.

C. Fuitne annus ante-diluvianus noſtro huic civili anno æqualis, vel per annos ejuſmodi, curſus Lunæ menſtrui, aut menſes intelligebantur? Cum hæc res ſit magni momenti, ne patiaris quæſo me amplius in illius ignoratione verſari.

M. Plures Viri cęteroquin docti, qui nulla mentis agitatione tantæ longævitatis rationem, naturaleſque cauſſas percipere potuerunt, credidere fieri non poſſe, ut vita in ſeptingentos, octingentos, nongentos annos, & ultra in Ante-diluvianis Hominibus produceretur, idcirco alias à noſtris annorum formas, ad ſalvandam ſacræ hiſtoriæ fidem, excogitaverunt, perinde ac ſi ea, quæ intellectu attingi nequeunt, dari non poſſent in rerum natura, non habentes iſti ad hebetudinem humanæ mentis intuitum, vel ad inquiſitionis viam perperam electam, ac proinde haud ad optatam cognitionem ducentem. Anni, quos inquiris C. à noſtris non diſcrepabant, ut colligi poteſt ex Sybillinis carminibus, Menetho, Beroſo, Mocho, Heſiodo, aliiſque Græcis, barbariſquè Authoribus, qui rerum antiquarum monumenta reliquerunt. In Sacra Scriptura quoquè menſes, & anni diſtinguntur, ut inter cęteros advertunt Lancellottus, & Burnetus. Si anni menſtrui ſumantur, non Solares, ex hoc computo fictitio, inquit Burnetus, ſequitur Nachorem, cum nondum haberet quatuor annos, genuiſſe filium Theracum: dicit enim ſacer Textus eum genuiſſe Theracum anno vigeſimo nono vitę ſuæ, qui numerus in annos menſtruos reſolutus non excederet tres annos communes. Similiquè proportione cęteri Patres ea ætate, qua pueri noſtri vix loqui poſſunt, puberes fuiſſent, & cum uxorculis ejuſdem, aut etiam minoris ætatis liberis generandis operam dediſſent. Abrahamus, qui vixiſſe dicitur centum ſeptuaginta quinque annos, ultra ſeptendecim non vixiſſet, quamvis Sacra Scriptura dicat eum obiiſſe in bona ſenectute, & dierum ſaturum.

Digitized by Google

C. Cur igitur diutiſſimè ante Diluvium vixerunt Homines?

M. Nonnulli hujus portentoſæ longævitatis cauſſam fuiſſe, ajunt, quia tunc temporis non aderat anni temporum inæqualitas, cum Sol, juxta illorum mentem, æquinoctialem circulum perpetuò deſcriberet, Ver totum annum occupabat: quod quidam volunt hiſce Alcimi Aviti carminibus indicari, an verò res ita ſe habeat, videant ipſi.

Non hic alternis ſuccedit temporis unquam
Bruma, nec æſtivi redeunt poſt frigora Soles;
Hic ver aſſiduum Cœli clementia ſervat:
Turbidus Auſter abeſt, ſemperque ſub aere ſudo
Nubila diffugiunt, jugi ceſſura ſereno.
Nec poſcit natura loci, quos non habet, imbres;
Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuò viret omne ſolum, terraque benignæ
Blandè nitet facies, ſtant ſemper collibus herbæ
Arboribuſquè comæ.

Ego cenſeo præfatam longævitatem trahendam eſſe ex perfectione aeris, aquæ, & alimentorum indole in Mundi primordiis ſibi à naturæ Authore indita præditorum, cum nondum è terræ viſceribus emerſiſſet id, quod corpora à pleriſque Elementa vocata, & viventium alimoniam inquinaſſet, ac in terræ ſuperficie nulla inſignis corruptio facta fuiſſet. Simplicitas quoquè victus tunc temporis adhibita plurimum ad protrahendam vitam conduxit. Præterea filii undequaque ſani naſcebantur, procreati à Parentibus firma ſanitate donatis, quod mirum quantum ad protrahendam vitam conducat. Ut qui ædificant, dum ſolida ponunt fundamenta, moles in omne quodamodò ævum duraturas efficiunt: ita Parentes, qui optima fœtibus vitæ ſtamina tribuunt, valdè influunt in filiorum longævitatem.

Sed è diverticulo in viam redeamus. Natura Hominis ſic alterata poteſt peculiarium cauſſarum energiam experiri, quarum antea vires ſuo firmo robore, vel infringebat, vel eludebat. Ut agens in paſſum agat, in hoc debet tales determinatas diſpoſitiones invenire, quæ ubi in illo deſiderentur, nequit virtus agentis in actum erumpere. Quapropter hac ratione præ men-

tis

tis oculis habita, *fortaſsè* cauſſa Variolarum ſemper in aere hoſpitata eſt, ſolùmque illius actus ſecundus (ut cum Scholis loquar) emerſit, ubi in Hominibus diſpoſitio ad ejuſmodi actum recipiendum procreata eſt.

C. Illud adagium —— *ſemper tibi pendeat hamus* multi tecum in omni eruditionis genere verſatiſſimo loquenti ſcriptum eſſe puto; hinc ex te quæro cur quidam morbi olim nonnullis Regionibus exotici, modò illis familiares ſint?

M. Quædam regiones incipiunt pati quoſdam morbos, quos antea non patiebantur vel quia vaſtiſſimæ Sylvæ cæſæ ſint pernitioſos ventos arcentes, vel quia montes ſponte ſua diruti, vel Magnatum expenſis excìſi amplius ab illis non removeant malignos halitus, vel quia inito cum quibuſdam populis commercio eorum contagioſæ ægritudines in illos deriventur, vel quia ob annonæ caritatem coactæ ſint pravis uti alimentis, vel quia in illis labori, & frugalitati aſſuetis otium, & crapula corpus vitiaverint, vel quia ob bella præſentia, vel imminentia, Homines gravi terrore correpti ſint. Animi pathemata mehercùlè Hominibus morbos inferunt contumaciſſimos, cum in noſtro corpore id peragant, quod venti in mare efficiunt, sùs deque videlicèt totum corpus vertant: hoc intercedente diſcrimine, quod turbæ in noſtra machina procreatæ difficilimè, & vix longiſſimo tempore ſedari poſſunt, proſtratis ab illis ſpiritibus motum fluidis, & ſolidis impertientibus: agitatio verò Mari à ventis adveniens citò evaneſcit, vel, quia in aeris regione ex peculiarium effluviorum combinatione, nata ſint mixta Hominibus, vel aliis animalibus infenſa, vel quia aquæ ſtagnantes pravis halitibus aerem inquinent. In præſentiarum propoſitam ſuperius ſententiam tueor, tu interim C. ſi quid obiciendum habes, id ex tua ſagaci, & verſatili mente deprome.

C. En me tuæ petitioni obſequentem. Si ſemen Variolatum veneficum ſit, deberet ſtatim chyli lemita, vel reſpiratione in ſanguinem deductum operari. Hoc docet Galenus lib. 1. de ſemine cap. 16. hiſce verbis – Minima portiuncula lethalium venenorum, quæ deleteria appellantur, ubi animalis corpus ingreſ-

greſſa eſt, totum id momento temporis immutat, ibique ſimili affectione alterat. Idem tradit doctiſſimus VVilliſius ſic ſcribens – Venenum eſt id, quod in noſtrum corpus impingens temperiem, & actiones cujuſcumque partis, aut totius vehementer lædit, ſpiritus profligat, aut eorum motus pervertit, liquorum mixtiones ſolvit, viſcerum fermenta, illorumque functiones deſtruit, adeoque ſubitò, & latenter vitæ periculum adducit.

M. Reſpondeo Galenum, & VVilliſium loqui de venenis, quorum vis operativa non eſt concentrata, ſeù quæ non eſt à partibus alterius indolis vincta. Hæc ſanè cum in operando haud impedita ſint, intra viventium corpora recepta citiſſimè ex sùs, dequè vertunt. Cæteroquin per eoſdem Authores datur quoquè venenum hebes, & minoris energiæ, quod non ſtatim ſe prodit, nec in fera ſymptomata erumpit, ſed ſolùm poſt menſes, & annos interimit, ut dictum eſt ſupra de veneno à Cane rabido per morſum communicato. Doctores ipſi agentes de venenis, ut Hieronymus Cardanus, & Petrus Cararenſis, dividunt venena in præſentanea, & temporaria, quorum poſterior pluribus rationibus probat ex venenis temporariis quædam ad determinatum tempus operari. Hoc idem hiſce verbis indicat Theophraſtus in lib. 9. hiſt. Plantarum de Aconito ſic loquens – Componi autem ita ferunt, ut certis occidere temporibus poſſit, videlicèt bimeſtri, trimeſtri, anno completo, & etiam biennio. Ego cenſeo nullum certum tempus ſtatui poſſe, nam pro diverſitate naturæ, temperamenti, ætatis, ſexus, regionis, anni temporis, varioquè ſex rerum non naturalium uſu, venena temporanea poſſunt citiùs, vel tardiùs operari. In hanc rem ſic egregiè ſcribit doctiſſimus Harris – Opinio iſta vulgaris ficta, & falſa eſt, quæ Indos, ab uſque Italos ita artem veneficam ſtatuit calluiſſe, ut in ſtatum diem, aut tempus prædeterminatum, ſive fuerit ſeptimana, ſive menſis, ſive annus, venenatos omnes certò conficere poſſent. Natura enim unius, quam alterius veneno ſe magis opponit, & lethale virus reprimit, aut fruſtratur.

C. Cum hanc difficultatem ſuſtuleris, ad alias progrediar.

De-

Deprompto Variolarum ſemine è terra, nequit explicari, cur hic morbus magis pueros, quam juvenes, & ſenes corripiat. Quod contra explicatu facile eſt, ſi illius origo petatur ab utero.

M. Te quam primum in meam ſententiam traham. Quemadmodum non omnis fert omnia tellus, ſed exigitur ad explicandum plantarum ſemen tale determinatum ſolum, quod ubi ſemina haud nanciſcantur, vel non abeunt in plantam, vel ſi in plantam immutantur, hæc ibi feliciter non adoleſcit, ut videre eſt e. g. in tuſſilaginis, & filicis ſeminibus, quæ pingui terræ commiſſa, vel ibi putreſcunt, & emoriuntur, vel ſi vegetare incipiunt, nequeunt ad ſuæ ſpeciei debitam magnitudinem pervenire: ita idem quoque contingit in Variolarum ſemine, quod, ut in actum erumpat, talem diſpoſitionem in Hominis ſanguine requirit, quam cum magis in pueris quam in juvenibus, & ſenibus inveniat, hinc eſt quod Variolis magis illi, quam iſti obnoxii ſint. Inſectorum ova, ſeu ſemina, & ipſa non in quocumque loco evolvuntur in hujuſmodi animalia, ſed ut plurimum exigunt locum, in quo corpora putreſcant: hinc fluxit Peripateticorum error exiſtimantium hæc inſecta ex putredine prodire. Nunquam corpora vegetabilium, aut animalium putreſcentia verminant, ubi muſcæ, & alia inſecta ibi ſua ſemina non depoſuerint, ut conſtat ex famigeratiſſimorum Rhedi, Malpighii, & Valliſnerii obſervationibus. Dum corpora inſectorum ovis perfuſa per fermentationem corruptivam incaleſcunt, viventium partes in hujuſmodi ovis deliteſcentes, contractæque incipiunt evolvi, & explicari, cum proprium ſit caloris expandere, ſenſibileſque evadere primo oculis microſcopio munitis, deinde iiſdem optico inſtrumento deſtitutis; ſuccique in tubulis horum animalium antea concreti, modò à calore liquati, motibus inteſtino, & progreſſivo cientur, quorum miniſterio portentoſæ inſectorum machinulæ excieſcunt. Datæ ſunt quædam peſtes, quæ ſolas virgines invaſerunt, aliæ verò ſenes tantùm, nonnullæ ſenibus parcendo, in juvenibus magnam ſtragem ediderunt. Hippocrates in Epidemiis conſtitutionem quamdam deſcribit, in qua famulæ, quæ anginâ corripiebantur, moriebantur, non ſic verò virgines liberæ. Cardanus lib. 8. cap. 40.

de

de rerum varietate, admirabilis peſtis ſic meminit.—Cum eſſemus Baſileę biennio peſtis eos ſolùm afflixit, qui eſſent Helvetii, adeò ut eo tempore toto vix unus, aut alter, dictu mirum, Gallus, aut Italus obierit.

C. Venenum è terra in aerem tranſmiſſum nequit diù ibi ſuam vim retinere, cum aer ſemper perenni motu inteſtino agitetur, ab hoc ſolvetur illius compages. Aer profectò vim habet corpora deſtruendi, nam fructus, flores, & res penè omnes, quæ aeri expoſitæ citò putreſcunt, in machina pneumatica, facto vacuo, diù conſervantur. Clariſſimus Boyle in hanc rem plurima fecit experimenta: carnem ſiquidem aſſatam, panem, violæ flores poſt ſeptem menſes penè integra, & nullo modò corrupta in vaſe vitreo, poſt exhauſtum aerem, conſervavit. Nec dubito quin, inquit Author Philoſophiæ Burgundiæ, permanerent corpora multò diutiùs integra, ſi aer externus non ſubiret, aut quod ſæpius accidit, ex ipſis corporibus non erumperet, nam pomum rugis contractum, & penè flaccidum, educto è præfata machina aere, complanatis rugis quaſi recens ex arbore decerptum apparet, pelleque nonnihil diſrupta, perindè ac ſi igni admotus eſſet, ſpumeſcit. Aer corporibus duris, compactiſque, ut marmori, non parcit, inde ſanè

Mors etiam ſaxis, nominibuſquè venit.

Quodque mirabilius eſt, ferrum duritie longè majori præditum non poteſt motus inteſtini aeris activitatem eludere illius perennibus arietationibus reſiſtendo. Hinc profluit omnium corporum atmoſphera. Cum materia per ſe iners ſit, & ad motum inepta (quicquid ſecus doceat Epicurus) nequit per inteſtinam atomorum agitationem corporum interitus obtineri. Id, quod ſtatuendum eſt omnium corporum compoſitorum analyſta, eſt indicatus aeris motus. Cum omnia corpora mixta, vèl compactiſſima poris prędita ſint, aer in illos ſe ſe inſinuans, aliiſquè meatibus egrediens moleculas minùs cum aliis connexas ſecum abradit. Ex triplici partium genere ad aeris ſyntheſim concurrentium, æthere videlicèt, compreſſibilibus figuræ ſpiralis machinulis, effluviis omnis generis è globo terraqueo, mixtiſque illi inſidentibus prodeuntibus materia ætherea eſt illa, quę

ve-

vegetum motum à Sole mutuata illum reliquis compartibus impertitur.

M. Variolarum ſemen eſt talis indolis, ut per motum inteſtinum aeris poſſit ſolum dividi in partes integrales, neutiquam verò in partes eſſentiales. Hoc mirum videri non debet, cum idem aliis quoque mixtis contingat. Si ſemen lentis paluſtris, trituretur, ad minima dividatur, coquatur in aqua, ſemper vim germinandi retinet, magno ſane argumento illius analyſim in partes duntaxat integrales fieri. Venenum quoque rabidi canis pluribus annis in corpore deliteſcens actionem innumerarum fermentationum, quę in corpore peraguntur, ſuę naturæ inſenſam non experitur. Et ne recedam ab aere, aquæ vapores aeri admixti, inteſtina aeris agitatione, aquæ naturam non exuunt, cum illorum diviſio inde proveniens, fiat tantum in partes homogeneas, hinc fit quod aquæ ſegmenta à frigore, vel alia de cauſa in unum coeuntia iterum aquam ſenſibilem efficiant. Aurum quoque nequit in partes heterogeneas, ex quibus coaleſcit, reſolvi de illo enim ſic ſcribit Etmullerus – Licet centies ſive igne, ſive menſtruis, tam inſipidis, quam acidis corroſivis calcinetur aurum, tamen reduci facile poteſt. Stante hac auri indeſtructibilitate manifeſtum evadit, nullum illius uſum in medicinam redundare. Medici ſiquidèm, dum auri folia variis immiſcent medicamentis, majorem iis gratiam conciliant, & pręţium augent, de viribus verò nihil addunt. Qui aurum candefactum in aqua appropriata extingunt, id quidem obtinent, ut liquor inſpiſſatus flaveſcat, & pulvis flavus in fundo ſubſideat, verum pulvis ille nihil aliud eſt quam atomi auri ob compactiſſimam ſui unionem nihil operantes, & facile in aurum reducibiles. Quamvis ego cum Etmullero, Roberto Boyle, Bonhio, aliiſque floci faciam aurum potabile, aliaque ex auro parata medicamenta, adhuc tamen ratio adducta ab Etmullero ad probandum aurum in animalium corporibus non operari, nullius momenti eſt, ut conſtabit ex meo de Theurapetica tractatu, quem, Deo dante, citò publici juris faciam. Summam tamen, & velut divinam vim auro ineſſe tam firmiter Veteres crediderunt, ut Agathocles referat penes Perſas auream aquam eſſe, quam

foli

ſoli Reges, & liberorum natu maximus biberent: cum reliquis eam bibere capitale crimen eſſet. Ut tractu temporis cauſſa Variolarum aeri inexiſtens per aeris agitationem deſtrueretur, alia poteſt ab indicato loco prodire, illique admiſceri.

C. Nunc argumentorum Achilem tuam opinionem impetentium proponam, quem ubi proſtraveris, reliquos inferioris ſubſelii milites quamprimum humi jacentes videbo. Si cauſſa Variolarum eſt quædam veneni ſpecies aeri inexiſtens ſinguli Homines non una, ſed pluribus vicibus deberent Variolis corripi, quia Variolarum fermentum ſæpe indicatis viis in ſanguinem deduceretur. Et ſicut antea in cruore facta eſt talis fermentatio, ob quam illud expeditum eſt ab aliarum partium vinculis, cur conſimilis fermentatio non poterit idem in ſpecie fermentum irretitum à vinculis expedire?

M. Te non fugit C. dari alios morbos, qui ſemel tantum Homines corripiunt, inter quos enumerandæ ſunt Roſalia, & Peſtis. Qui ſemel peſtem paſſus eſt (idem de alio morbo dictum volo) rariſſime in eam relabitur. Olim ſentiebam me inveniſſe genuinam cauſſam, ob quam Homines una vice tantum Variolis corripiantur, ſic enim philoſophabar. Sanguis, qui eſt naturæ alkalicæ, habita cum acido-volatili Variolarum authore fermentatione, non eſt amplius idoneus ad fermenteſcendum; conſtat enim innumeris Chymicorum experimentis una vice ſolùm inter acidum, & alkali luctam fieri, cum ab hac ita utrumque principium immutetur, ut alienam prorsùs induat naturam. Quamobrem cum per fermentationem ſanguinis tantum, acidum volatile in vinculis detentum libertatem adipiſcatur, non amplius fermenteſcente ſanguine, præfatum acidum captivatum remanens non poterit in cute ſuam vim exerere, ibique Variolas procreare. Re tamen accuratius penſitata detexi meum ratiocinium claudicare. Non eſt univerſaliter verum Chymicorum aſſertum, luctam nempe intercedentem inter acidum, & alkali utrumque principium deſtruere, ut ex dicendis inferius conſtabit. Tantum abeſt per fermentationem ſanguinis deſtrui acidum volatile ibi abditum, ut potius illud exaltetur, ſicquè reddatur aptum ad Variolas procreandas, ſi enim deſtrueretur

qui

quæ Variolas gignere poſſet? Hoc acidum non eſt illud, quod fermenteſcit cum ſanguine, cum fermentatio ſanguinis habeatur in illius depræſſione. Iſtud à fermentatione lucratur acidum, ut è ſuis vinculis eximatur. Addendum novas particulas alkalicas per chylum perennitèr ad vitale fluidum deduci, cum cibaria, ex quibus chylus prodit, alkalicis moleculis ſint ſaturata. Bilis quoquè, ſi detur illius circulatio admiſſa ab Alfonſo Borello, Pompeo Sacchio, Michaela Angelo Andriolo, aliiſque multas alkalicas moleculas in ſanguinem vehere poteſt, cum n. iſtæ ad illius ſyntheſim uberrimà copià concurrant. Plura acida pariter chyli ſemità ad cruorem appellunt. Cum igitur in maſſa cruentaria ſemper detur utrumque fermentationis principium, nunquam ibi hujuſmodi motus inteſtinus deſiderabitur.

C. Hæc indirecta reſponſio, cum propoſita difficultas ſit maximi ponderis, ſpernenda non eſt. Multa ſacro tegit involucro natura, quæ admirari, non ſcire nobis datum eſt.

M. Modò meæ menti occurrunt quædam ab obſervatione deducta, quæ tuam difficultatem prorſus tollunt. Penes Turcas quadraginta ab hinc annis Bizantii viget ratio ad Anglos, & præſertim Londinenſes nuperrimè profecta Variolas procreandi per tranſplantationem. Cum iſte morbus multociès lethalis ſit, ubi ſpontè naturæ fit, nonnulli experiri voluerunt, curioſitate valde comendanda, utrum arte genitus ſit indolis adeò pernicioſæ. Quamobrem electo puero optimi temperamenti, qui nullum, præter Variolas diſcretas, patiatur, morbum, die 12., vel 13. aliquas illius puſtulas in brachio, vel crure acu perforant, eductumquè inde craſſum humorem in calido vaſculo clauſum detinent: poſtmodùm in altero puero, excoriato carpo (parte videlicèt inter brachium, & manum mediante) ibiquè duobus, vel tribus vulnuſculis in diverſis locis aciculà inflictis, effundunt in illa foraminula ſuccum è puſtulis extractum, quæ deindè aliqua re concava obturant, ne Variolarum fermentum in auras abeat, vel à ſubucula, aut linteaminibus abſtergatur. Interim futuro ægroto exactam vivendi rationem præſcribunt. In hiſce pueris, & ſi interdum citiùs, interdum ſerius Variolæ

erum-

erumpant, prout illi hanc, vel illam craſim ſortiuntur, ut plurimum ſeptima ab infuſione die, manifeſtantur. Ex quinque pueris carcere clauſis, in quibus Londini, Rege annuente, factum eſt experimentum, quatuor Variolis correpti perfectè convaluerunt, quintus morbum non contraxit, quia antea illo laboraverat.

Cum Variolarum tranſplantatio nullum inconveniens complectatur (inquiunt Authores Mercurii hiſtorici, ſeu politici, ex quibus hanc notitiam hauſi) poterit fieri, ut evitetur mors, aut gravia ſymptomata pueris multocies à Variolis ſupervenientia. Quamvis mites Variolæ per præfatam tranſplantationem genitæ, ſint in indicatis ſubjectis, adhuc tamen, ſi iterentur experimenta, ſemper idem non continget. Oleum amygdalarum dulcium, quo mitius inter lenientia non datur, in nonnullis tam gravem procreat perturbationem, ut illi videantur in vitæ diſcrimen adduci. Caſſia conſueta doſi exhibita in adoleſcente tam enormiter laxavit alvum, ut producta diarrhæa in hypercatharſim degeneraverit. Graſſante peſte aer venenato miaſmate infectus, qui inſpiratus plurimis mortem infert, quorumdam vitam ſine ulla prorſus læſione fovet, aliorum verò corpus magnopere perturbat, neutiquam verò deſtruit. Idem in caſu de Variolarum tranſplantatione fiet. In multis, in quibus infuſi fermenti vis non infringitur, operabitur, ut factum eſt in adductis ſubjectis. In aliis verò à craſſis, glutinoſiſquè ſuccis vincta cogetur otiari. In nonnullis plus debito actuata gravia ſymptomata, & interdum mortem procreabit. Clariſſimus Harris, qui fusè agit de Conſtantinopolitana Variolarum tranſplantatione, ſcribit Chinenſes Variolas propagaturos, alia ſemita incedere ipſis ſiquidem in more poſitum eſt in nates infantum ſomno correptorum turundam parvulam ex goſſypio factam imbutam fermento è punctis Variolis extracto, immittere, quem morem haud approbat cum poſſit cerebro detrimentum inferre.

Ex nuperrime traditis apparet illum, qui ſemel Variolas paſſus eſt, ut plurimum non amplius diſpoſitum eſſe ad contrahendum hunc morbum. dixi ut plurimum, quia dantur aliqui, qui quandoque pluribus vicibus Variolis corripiuntur. Ego vidi unum puerum duplici, alterum triplici vice Variolarum morbo labo-

laborantem. Rem multiplici nomine valde portentoſam narrat Petrus Borellus centuria 3. obſervatione 10. ubi mulieris meminit, quam ſepties Variolæ invaſerunt, & tandem ſuæ ætatis anno centeſimo decimo octavo his ipſis Variolis mortua eſt.

Quod penes Italos, Hiſpanos, Luſitanos, & ipſos Occitanos portentoſum eſt, nil admirationis involuit apud Septentrionales Populos, immò etiam penes Pariſienſes, qui ſæpe bis, ter, quaterque Variolis infeſtantur. Circa hanc rem ſic philoſophatur doctiſſimus Sidobre — Sueci, Dani, aliique Septentrionales populi propter frigidam regionum temperiem, & alimentorum, quibus veſcuntur craſſam indolem, obtinent ſanguinem ſpiſſum, qui ſeminium Variolarum craſſo ſulphure, quo pingueſcit, adeo intricat, ut minima ejus portio per morbi decurſum tantum expediatur, pars verò reſidua per varios morbos, quos patitur ſanguis, evolvatur, & Variolas iterum accerſit: eo maximè quod hæ gentes cutaneis ſpiraculis ſint arctioribus, & ſeminis exhalationi minus idoneis. Qui verò calidiores plagas incolunt, cùm minima alimentorum ſalſugine, tum calida aeris temperie, humores habent præcalidos, & diſſolutos, in quibus ſparſum involvitur Variolarum fermentum, ideoque in maxima copia expeditur, & in cutem erumpit, aut in auras difflatur: nam earum gentium pori cutanei humorum æſtu, & aeris calida indole, valdè aperti, Variolarum miaſmatis facilem præbent exitum. Indi Orientales hunc morbum contemnunt, domoquè ſine periculo frequenter exeunt, cum rariſſimi eo occumbant. Quod fit quoquè in America Meridionali: ſic enim ſcribit Gulielmus Piſo — Quoad Variolas, quas Beſiogas Luſitani vocant, attinet, & ſi non evadant eas Meridionalis Americę Incolę, benignius tamen corripi iis ſolent, citius curantur laborantes, ob perpetuam pororum apertionem, victum ſimplicem, humorumque minorem fæculentiam, modò ab aere nocturno ambiente ſibi caveant ſedulò. Ubi morbus iſte Indos Occidentales primùm invaſit, magnam illorum partem ſuſtulit, & in preſentia quoque illos valdè torquet. Hinc effinxerunt quemdam Idolum mulierem tabe confectam humanam ſtaturam ſupergreſſam referentem duplici capite, & quatuor brachiis inſtructam. Quod ſimulacrum (graſſantibus Variolis) adeunt, orantque, ne morbus ægris vitam adimat.

C. Morbi, qui fiunt ab aliquo principio extraneo in aerem introducto, quod anteactis temporibus in illo non reperiebatur, perenniter in Mundo non durant; cum autem ſemper dentur Variolæ, illarum originem aliundè trahere debemus.

M. Hęc difficultas parum abludit ab illa, quam ſuperius propoſuiſti. Dantur quandoque quorundem corpuſculorum concretiones, quæ difficilimè diſſoluuntur. Particulæ medicamenti cathartici hauſti à nutrice intactæ remanent in chylo, ſanguine, & lacte, ita ut cum lacte tranſeant ad purgandum infantem. Interdum, ubi recentia gallinarum ova bibuntur, in iis deprehenditur odor herbarum ab illis ingurgitatarum. In caſeo vacarum arboreâ hederâ nutritarum, ſaporem ejus Plantæ percipimus. Thuanus lib. 27. ſuarum hiſtoriarum meminit quorumdam Hominum ſilveſtrium in ſylvis degentium, qui neglectâ terræ culturâ, venatui tantum indulgentes, urſorum, leonum, aliarumque ferarum occiſſarum carnibus nutriti, illarum tetrum odorem ex ſuo corpore fundunt. Quidam Chymici (ut referunt Boyle, & Lemery) ex regulo Antimonii pilulas efformant, quas perpetuas appellant, quia operatione in corpore peracta, cum fęcibus excernuntur, quas inde extractas, & benè lotas iterum exhibent deglutiendas, hęquè è fęcibus centies, & centies eductæ, & abſterſæ, ſi intus ſumantur, ſemper vim catharticam exerunt.

C. Si cauſſa Variolarum eſt effluvium venenatum è terræ viſceribus erumpens ob agitationem ventorum, vel ob particulas ſulphureas ibi accenſas, debuiſſent Variolæ eſſe ante Diluvium eſt enim inveriſimile tot ſæculis, quæ Diluvio præceſſerunt, nullam vehementem motionem factam fuiſſe in terræ viſceribus.

M. Cum ante Diluvium Homines ob ſalubritatem aeris eſſent valdè longævi, rationi conſonum eſt, nulla inteſtina violenta agitatione terram motam fuiſſe, ob quam illius viſcera recluderentur. Quod ſi factum eſſet, non ſolum emerſiſſet Variolarum ſemen, verum etiam erupiſſent cauſſæ aliorum morborum. Certum eſt, ut conſtat ex alibi dictis, in terræ viſceribus plura venena

nena recundi, quæ à præfatis cauſſis agitata, & ad minima redacta per terræ hiatus tunc procreatos egreſſa aerem inquinaſſent. Vitiato autem aere, plures morbi Homines corripuiſſent, illorumque vita non amplius ad plura ſæcula producta fuiſſet. Quemadmodum ante Diluvium aer erat perfectiſſimus, aqua optimæ indolis, terra plantas ſuaviſſimas, & ſaluberimas gignebat, quibus Homines, & bruta utentia diutiſſimè ſine ulli prorſus læſione vivebant, ac proinde in terræ ſuperficie natura pacata erat. ita cenſendum nullam factam fuiſſe in terræ viſceribus perturbationem.

C. Ubi hanc poſtremam difficultatem, quam modò propono, enervaveris, cum mihi nihil amplius dicendum occurrat, tuæ opinioni tenaciter adhærebo. Si venenum productivum Variolarum è terræ viſceribus egrederetur, priùs deberet inficere, oves, boves, aſinos, equos, aliaquè animalia, quæ prona è terræ ſuperficie cibum carpunt, cum primitus in illa incurrat. Hinc peſtes à venenatis terræ effluviis prodeuntes bruta prius, deinde Homines invadunt. In hanc rem ſic ſcripſit Claudianus lib. 1. contra Rufinum.

Ac velut infecto morbus crudeſcere Cœlo
Incipiens primo pecudum depaſcitur artus,
Mox populos, urbeſque rapit.

Ovidius lib. 7. Metamorphoſeon peſtem à brutis ad Homines, progreſſam hiſce carminibus tradit.

Strage Canum primo, volucrumq;, oviumq,, boumq;
Inque feris ſubiti deprehenſa potentia morbi eſt,
Pervenit ad miſeros damno graviore colonos
Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus urbis.

Homerus quoque in primo Iliados meminit peſtis, quæ pluribus brutorum ſpeciebus vexatis, Homines tandem invaſit. Peſtium à brutis ad Homines progreſſarum Livius, Amianus Marcellinus, Tucydides, Lucretius, Bucatius, Cardinalis Caſtaldus, aliique Authores mentionem faciunt. Hinc Paullus Ægineta ſcribit valdè timendum eſſe, ne peſtis in bruta ſæviens humanum quoque genus corripiat. Peſtes autem non fiunt à malignis Cœli influxibus, ſed ab effluviis venenatis, quæ ut plurimùm,

 re-

reclusa terræ viſcera in aerem tranſmittunt.

M. Halitus venenati è terra erumpentes pertingunt utique prius ad bruta, quàm ad Homines. Indè tamen non ſequitur, bruta debere prius lædi, deinde Homines, nam non quodlibet agit in quodlibet. Quædam venena Hominibus infenſa, brutis innocua ſunt. Cicuta, quæ Hominibus venenum eſt, ſturnorum, cornicum, & aſinorum eſt pabulum, Opium, quod largiori doſi exhibitum Homini mortem infert, ſub eadem doſi datum canibus nullum affert damnum, lolio gallinæ nutriuntur, quod Homines videtur infatuare, capræ helleboro, colocynthide mures nutriuntur, quę duo humana corpora valde exagitant. Contra quædam innocua Hominibus brutis moleſtiſſima ſunt. Nux vomica feles, canes, & aves interficit, neutiquam verò Hominem. Aloe, & amygdalæ amaræ, quæ vulpibus venenum ſunt, Hominibus proſunt, doronicum, quod canes enecat, eſt nobis remedium polychreſtum. Dantur quidam halitus venenati enecantes bruta, qui Hominum vitę parcunt, quędam peſtes profectò bruta invaſerunt intactis Hominibus. Quandoquè viguerunt Epidemiæ, in quibus mortui ſunt feles, columbi, ſues, aliæque animantes, illæſis Hominibus. Fracaſtorius in ſuo tractatu de Peſte meminit cujuſdam peſtis anni 1514. in bobus excitatæ, quæ nec ad alias brutorum ſpecies, neque ad Hominem progreſſa eſt. Alterius peſtis, quæ contigit anno 809. mentionem facit quidam Saxonienſis Poeta, quę per multas brutorum ſpecies vagata Hominem non læſit, quod ſic expræſſit

——————— ſævior omni
Hoſte nefanda lues pecudum genus omne peremit.

Rolandinus hiſtoricus verba faciens de peſte anni 1238. ſic ſcribit – Fuit hyems aſpera, & horribilis, ita quod nivis, & frigoris ſuperfluitate inſolita, mortuæ ſint vineæ, olivę, ficus, & alię multæ arbores fructiferæ, & poſt illam peſtem, eodem anno ſequuta eſt peſtis avium, & præcipuè gallinarum, brutorum, & multorum utilium beſtiarum, non innuit verò eodem anno, vel ſubſequentibus, brutorum peſtem Homines corripuiſſe. Ingenue fateor me pleraſque peſtes in præſentiarum deſcriptas hau-

ſiſſe

ſiſſe ex tractatu Italicè conſcripto à Ludovico Antonio Muratorj Sereniſſimi Ducis Eſtenſis bibliothecario. Ubi author iſte de peſte tractatum edidit, cum conſeretur ad aliena caſtra tranſire, rem parum Medicorum palato arriſuram videbatur proponere. Verùm liber attentè lectus æque placuit, ac alia opera, quę illi immortalitatem conciliarunt. Prętatus Doctor accurata bonorum librorum lectione, exacta naturę obſervatione, & profunda meditatione ſuo acutiſſimo ingenio eo uſque progreſſus eſt, ut ſibi Encyclopediam, ſeu ſcientiarum omne genus comparaverit. Revera Lodovicus Antonius Muratori eſt inſignis Poeta, Hiſtoricus, Orator, Philoſophus, Theologus, Medicus, reliquaſquè callet diſciplinas. Deus authori famigeratiſſimo Neſtoreos largiatur annos, quò ſubinde aliquid promat (ut multoties anteactis temporibus præſtitit) reipublicę literarię, totiquè humano generi proficuum.

C. Patefacto loco, unde egreditur Vaiolarum ſeminium, nunc illius naturam, cum venena ſint diſparis indolis, in propatulo pone.

M. Ego cenſeo, ut ex ſuperius dictis eſt apertiſſimum, Variolarum cauſſam de natura acidi volatilis participare, cum acidum hujuſmodi delatum ad cutim vim habeat procreandi Variolas, & hic morbus curetur per remedia acidum ſubtile abſorbentia. Hanc opinionem celeberrimus Eduardus Strother amplectitur hiſce de cauſſis, ut referunt Acta Eruditorum Lipſiæ Menſis Martii A. 1722. – Acida exterius applicata cutim corrodunt, antiacida imminentem Variolis ſuppurationem arcent, earumdem medentur ulceribus, indeque orto dolori, ulcera famoſa ab uſu acidorum, vel mercurialium acidis admixtorum, pus laudabile fundunt, purulenta Variolarum materia acidum redolet, poſtremò, ut hanc ſententiam validius tueatur, provocat ad experimenta, quæ penes Authorem, vel præfata acta legi poterunt. Ettmullerus quoque cenſet Variolas ab acidis procreari. Hoc acidum diu abditum in ſanguine, ubi maſſa cruentaria, peculiari ratione effereſcit, & deſpumatur, factum ſui juris per criſim quamdam ad cutim impellitur. Dum natu-

ra robuſtior effecta hoc venenum è ſanguine amoliri agreditur, id peragit ſummo labore. Idcircò tunc temporis fiunt febres, deliria, convulſiones. Natura in hoc opere ſe gerit ad inſtar illarum mulierum (utor libenter Arabum exemplo) quæ butyrum à lacte extrahunt. Hæ totum lac in vaſe anguſtiſſimi oris vehementer agitant, in qua conquaſſatione pars butyroſa abſcedit, & ſegregatur à caſeo. Sanè cum Variolarum fermentum arctiſſimis vinculis irretitum ſit, magnus naturæ niſus exigitur ad hæc vincula diſrumpenda, quem ubi exerit, ſæpe sùs, deque vertitur corpus ægrotantis. Præfatum acidum ad cutim impulſum irritando hoc integumentum, & figendo ſanguinem primò gignit puſtulas ſubrubras grana milii æquantes, quæ ſparſim conſpicuæ ſunt in facie, collo, & pectore, deinde, ut plurimum, in toto corpore manifeſtantur. Hæ ſingulis diebus grandeſcentes, ſi palpebras occupent, quod ſæpiſſimè fit, illis repletis, & extenſis, lucis eripiunt conſpectum. Tumorem faciei excipit colli, & reliqui corporis intumeſcentia. Puſtulæ, quæ ſolent tertia, vel quarta febris die fieri, uſque ad octavam diem leves ſunt, & rubræ, poſtmodùm fiunt aſperiores, & ſubalbidæ, quod eſt incipientis maturitatis ſignum. Dum augetur maturatio in quibuſdam locis diſruptæ ſuccum luteum eructant. Manuum puſtulæ diſruptione evaneſcunt in facie verò, & reliquis partibus deſquamatione, ſuccedentibus ſquamulis furfuraceis, ſub quibus in nonnullis deliteſcunt foveæ, quæ, ubi morbifici fermenti aciditas magna fuerit, nunquam obliterantur.

C. Hæc tua ſententia adverſatur opinioni clariſſimi Doctoris Gallici, cujus nomen nunc meæ menti non occurrit, qui ſcribit Variolarum cauſſam eſſe ſalia acria ſanguinem diſſolventia, idque ſolidiſſimè probat, inconcuſſis nimirùm obſervationibus: Laborantes Variolis ſæpe patiuntur ſanguinis fluxum per nares, alvum, renes, pulmones, aliaſquè vias. Dum ex illis ſanguis per cucurbitulas ſcarificatas, vel per phlebotomiam extrahitur, difficilimè poſtmodùm fluxus ſanguinis, ob ſummam illius diſſolutionem, cohibetur. Immò quandoque totus ſanguis ex cutis punctionibus uſque ad ægrorum obitum egreditur, incaſſum quibuſcunque fortioribus adſtringentibus adhibitis. In cadave-

ribus

ribus mortuorum ex Variolis ſæpe ſanguis fluidus obſervatur.

M. Meæ obſervationes pugnant cum illis ex Doctore Gallico depromptis. Ego, prout res poſtulat, in hoc morbo præſcribo cucurbitulas ſcarificatas, ac phlebotomiam, & non video, difficilimè fluxum ſanguinis cohiberi. Immò non rarò obſervo extractum ſanguinem ad illum pleuriticorum accedere, ac proinde ad coagulum vergere. Quando ſanguis plùs debito fermenteſcit, fiunt utique hemmorrhagiæ, hæ autem non à ſalinis, ſed à ſulphuris exaltatione proficiſcuntur. Non inficior fluidum vitale diù in aliqua parte ſtagnans, acredine contracta, ſibi interdum è corpore egreſſum parare. Illa verò acrimonia, ob quam, reclusis vaſis, è corpore egreditur ſanguis, eſt quid ſubſequens ad ſtagnationem. Demum fermentum Variolarum non eſt illud, quod procreat febrem, ſanguinemque diſſolvit, admiſſa etiam in ſanguine hujuſmodi diſſolutione: dum enim fit febris, diſſolviturque ſanguis, fermentum Variolarum eſt compedibus vinctum, ſolùmque per magnum naturæ conatum, peculiari febre ut plurimùm inſtitutum, libertatem adipiſcitur. Effectus igitur diſſolutionis ſanguinis eſt refundendus in ſuam cauſam, non in Variolarum fermentum.

C. Ubi acidum volatile è ſanguine extractum Variolas procreare debeat, hic morbus perpetuò à Mundo exulabit. ſanguis ſiquidem nec in naturali, nec in morboſo ſtatu acidorum eſt condus, ſeu promptuarium. Robertus Boyle in Chymia ceteros Philoſophos longè antecellens nunquam ex ſanguine ſanorum, vel ægrotantium, innumeris factis tentaminibus, potuit ſubſtantias acidas elicere. Martinus Poli, qui pluribus annis Chymiæ operam dedit, & ipſe ex vitali fluido incaſſum niſus eſt præfatæ indolis moleculas elicere.

M. Cum humanum corpus undequaque acidis in aere luxuriantibus circumdatum ſit, & duæ inſignes viæ parulæ ſint, Æſophagus nimirùm, & Trachea, per quas ad interiora corporis acuminatæ partes deducantur, quî fieri poteſt, ut hæ corporis penetralia non ſubeant? Si aeri terræ ſale acido ſpoliatæ, expo-

nantur, ſalem id genus, ſimilimè imbibunt. Ex multiplicibus ſalium ſpeciebus in aeris ſinu degentibus, ea, quæ hujuſmodi terris proportionantur, acidæ videlicèt, ad ſuas matrices accurrunt. Vitrioli minera in Carinthia evacuata, primò libero aeri expoſita, poſteà cooperta, poſt aliquot annos, ut refert Tachenius, ubertimi vitrioli matrix evaſit. Chalybis limatura in aere humido detenta haud aliter, quàm à liquoribus acidis corroditur. Sal ergo acidum, præter alia innumera, in aeris ſinu deliteſcit. Cibaria, & potulenta, quibus utimur ad vitam fovendam, multoties ſalibus acidis imbuuntur. Panis, quem obſoniis jungimus, acido peragitur fermento. Dum æſtivo tempore, præ nimio calore, penè lypothymiâ laboramus, ex acidorum uſu maximum perceptum levamen argumentum eſt ea in ſanguinem deduci, illuſque immoderatum fermentationem cohibere. In Cauſone, ſeu febre ardente acida non eſſent adeò proficua, ubi hæc ad febris ſubjectum non appellerent. In illis morbis, quos Medici ab acidis prodire ſentiunt, alkalica, quæ acidorum vim infringunt, utiliter adhibentur; magno ſanè argumento, in ſtatuenda præfatorum morborum cauſſa, eos haud allucinari. Doctiſſimus Homberg curioſitate ductus videndi, an ac dum eſſet in ſanguine, nec ne, quò dirimeret queſtionem hac de re inter Recentiores Philoſophos agitatam, pluribus factis periculis, detexit non ſolum in Hominum, verùm etiam in brutorum cujuſlibet claſſis ſanguine acidum reperiri, quod etiam ex ſudore, ſtercore, & urina elicuit: & quò juniora ſunt animantia, eo uberiorem acidi copiam ſuppeditant. Eduxit vir clatiſſimus ex ſanguine Hominis, vituli, bovis, agni, hirci &c. peculiari ratione diſtillato rubrum liquorem, qui acidi, & alkali naturà, ut ex effectibus collegit, præditus erat. Eliotropii namque tincturæ extractus liquor rubedinem conciliat, quod ſolum acida præſtant, & cum ſpiritu ſalis, rerum alkalicarum ad inſtar, efferveſcit. Huic invento fidem derogare non debemus, cum ejuſmodi portentoſa copula alio tempore viſa fuerit, ut colligitur ex actis ſcientiarum Regiæ Academiæ anni 1701. Ratio adhibita ab Homberg in ſanguinis analyſi eſt hæc: junxit ſanguini deſtillando caput mortuum alterius ſanguinis deſtillati. Si addidiſſet (ut peregit Vieuſſenius) bolares terras, cum

iſtæ

iſta acido imbuta ſint, ſemper dubitari potuiſſet unde extractum acidum emerſiſſet, an ex ſanguine, vel ex bolo. Chymici profectò tùm ex ſale e. g. muriatico copioſiorem ſpiritum acidum educunt, cum majorem, vèl puriorìs terræ partem eidem admiſcent: magno ſanè argumento terræ miſtellam plurimùm influere ad augendam ſalium acidorum vim. Ubi verò ſanguis ſuo capiti mortuo admiſceatur, elicitum acidum ſemper ex ſanguinis penu depromptum eſt. Tertium ad extractionem acidi, ſanguini addendum eſt, quò melius vim ignis diſgregatæ ſalis partes experiantur. Philoſophi, qui alia methodo inſtituta ſanguinis analyſi, prefatum liquorem rubrum ex eo non extraxerunt, & quædam experimenta inferius adducenda non peregerunt, hunc gravem errorem in ſcholas invexerunt. acidum videlicèt in ſanguine deſiderari. Opinatur prefatus Doctor acidum contentum (ut conſtat ex analyſi) in plantis, fructibus, ſeminibus, carnibuſquè, quibus veſcimur, in primis viis propriam indolem non deperdere, partemque illius unà cum fecibusè corpore extrudi, alteram verò in cruorem deductam ſuam indolem tueri. Sanè cibariorum multæ affectiones in chylo, ſanguine, inque ſecundariis humoribus continentur: non enim vires fermentorum primarum viarum, ſanguiniſque cibariorum moleculas in ſua prima componentia reſolvere poſſunt, iiſque combinationem omnimodè à priori diverſam tribuere. Oleum amygdalarum dulcium ore ſumptum ſub olei ſpecie ad ſanguinem appellit, retentáque ſua vi vinciendi ſalinas particulas, convulſiones à ſalibus in maſſa ſanguinea luxuriantibus pendentes tollit. Homines ſylveſtres, quorum pabulum ſunt occiſarum ferarum carnes, cibariorum odorem (ut ex nuperrimè adductis Thuani monumentis colligitur) è ſuo corpore exhalant. Anates, nutritæ piſcibus, piſcium effluvia quaquaverſùs dimittunt. Dum turdis veſcimur, qui juniperi baccas comederunt; juniperi ſaporem, & odorem percipimus; vimque laxativam hujus fruticis experimur. Prefatum acidum continetur quoque in reptilibus, & inſectis, ut conſtat ex analyſi horum animalium facta ab Homberg.

C. Acida per Æſophagum ad primas vias appellentia ſive ex aere,

aere, ſive ex cibo, potuque depromantur, ibi ſuam vim non retinent, nam cum alkalibus, & potiſſimum cum bile fermentescendo in ſalſum abeunt quod ex congreſſu, luctâquè acidi, & alkali emergit, ut Chymiæ operam navantibus eſt exploratum. Acida, inquit Franciſcus Bayle, ſunt formæ alkalium, eaque ad has, vel illas ſalſi ſpecies contrahunt. Si acida huc deducta ſuam indolem ſervarent, de animalium vita actum eſſet; ibi namque obſtructiones parerent præſertim in Galaxia. Quapropter inhibito chyli ad ſanguinem appulſu, vitale fluidum debito ſibi vectigali fraudatum ad vitam fovendam ineptum evaderet. Quod porrò in chyli ſemita, venis nimirùm lacteis adeò gracilibus, ut ſolùm, ubi chylo turgeant, conſpicuæ ſint, Pecqueti receptaculo, ductu Thoracico oppilationes fierent, compertum eſt illis, qui, prout libet, vident chylum lacti analogum per acidi affuſionem coagulari. Acidum in ſanguinem deductum, in illo concretione procreata, ſecretiones ſuccorum, quibus vita eſt alligata in glanduloſis viſceribus celebrandas inhiberet. Ubi nos canem, vel aliud animal extinctum volumus, id aſſequimur, ſi recluſis venis, vel arteriis, in illius ſanguinem ſuccos acidos immittamus. Die 7. Martii 1700. Romæ degebam in Theatro Anatomico Auditoribus pleno, ubi famigeratiſſimus Baglivius Anatomici munere ſumma cum laude fungens in jugularem ſiniſtram canis juvenis firmitèr tabulæ alligati ſpiritum vitrioli infudit. Ab infuſione ſtatim canis validè moveri (prout tamen vincula patiebantur) & conqueri cępit magnos edens ululatus, poſtque ſemiquadrantem horæ, nunquam intermiſſa vehementi corporis agitatione, periit. Tradito cadavere cultro anatomico, recluſoque Thorace, obvii pulmones ſummam nigredinem contraxerant, magnaque ſiccitas cum in externis, tùm in internis partibus viſa eſt, ſanguis in hujus viſceris tubulis omnimode concretus erat, nigrumque carbonem referrebat. Pars colli, quæ fuerat experimenti ſedes, ſic erat denigrata ut penè ſphacelo correpta videretur. Id genus experimenta innumeri Doctores proponunt, inter quos Authores Bibliotecę Anatomicæ. Acida per Tracheam in ſanguinem deducta ſi recollecta ſint, quem modò indicavimus in ſanguine pręſtant effectum, ſi verò ſint valdè diſgregata per cruoris fermentatio-

tationem ita immutantur, ut propriâ naturâ deperditâ aliam omnimodè diverſam adipiſcantur. In Homine ſæpe id contingit, quod ſemper marinis piſcibus accidit, qui etsi perenniter aquæ ſalſæ immerſi ſint undequaque illorum corpus ſubeunti, adhuc tamen nil ſalſedinis retinent, nam per fermentationem in illorum frigido cæteroquin ſanguine habitam, hæc ſalia coguntur aliam naturam induere. Modò ſi fermentatio in piſcibus habita, quæ comparata ad illam, quæ in Hominibus celebratur, umbra fermentationis dici debet, ex ſale aliam diverſam procreat ſubſtantiam, quid vegetiſſimæ Hominis fermentationes præſtabunt? Sanè fermentationes fluidorum humani corporis, nequeunt non inſignes eſſe. humores ſiquidem, quò magis ſunt heterogenei, eò validius fermenteſcunt. Porrò hæc ſumma heterogeneitas viget in ſanguine Hominis ex omnibus elementis cibaria depromentis. Fermentationibus vim ineſſe mutandi figuras ſalium, ex quibus ſapores, cùm in genere, tùm in ſpecie, Maignanus, Le Grand, Clericus, Bellinus, aliique inſignes Philoſophi petunt, deducitur quoque ex plantarum fructibus, quorum plerique qui, dum immaturi ſunt, acidum habent ſaporem, ad maturitatem evecti, dulces evadunt. Homberg (quò ad hujus Authoris experimenta convertatur oratio) fuit utique vir doctiſſimus, ut indicant plures pulcherrimæ diſſertationes illius inſertæ Actis Regiæ Academiæ Scientiar., & opera etiam ſeorſim ab hiſce Actis edita. Verùm, quia quandoque bonus dormitat Homerus, altera ex affectionibus ab eo tributa liquori rubro ex animalium ſanguine elicito, ſolidè non probatur. Opinatur Homberg ex effectibus naturam rubri liquoris erui poſſe. Cum autem præfatus liquor fermenteſcat cum ſpiritu ſalis, & eltropii tincturæ rubedinem conciliet, hæc duo phænomena per ipſum indicant liquorem rubrum acidi, & alkali indolem poſſidere. Fermentatio cum ſpiritu ſalis habita vim alkalicam detegit. Rubedo in elitropii tincturam derivata evincit illum acidorum albo adſcribendum eſſe, cum acida ſolùm præfatæ tincturæ rubedinem impertiantur. Fermentatio cum ſpiritu ſalis habita probat utique illius naturam alkalicam, minimè verò rubedo in elitropii tinctura procreata probat liquorem rubrum acidum eſſe. Res non rubræ, quæ admixtæ elitropii tincturæ illam rubram

red-

reddunt, ſanè in ſe latentem vim acidam produnt, ſecùs verò res rubræ: aliàs etiam terra rubra acida deberet dici, cum hæc liquoribus haud rubris admixta aliis rubedinem tribuat.

M. Hæc tua argumenta, quæ pluribus obſervationibus, & experimentis innixa videntur penè ad demonſtrationem accedere, ſunt meri paralogiſmi, cum validiora experimenta illorum robur prorsùs deſtruant. Si aliqua pars ſanguinis è vena extracta ſupra talem laminam excipiatur, ubi hæc exſiccata fuerit, oculis microſcopio munitis curioſum exhibet ſpectaculum. attingunt ſiquidem ibi duplicem ſalis ſpeciem, quarum altera eſt ſalis communis, altera verò ſalis volatilis. Si ſanguis in clibano exſiccatus projiciatus in ignem, flammam concipit cum crepitu ſalis marini, ut Boyle, Lanciſius, & alii experti ſunt, inter quos ego quoque ſum reponendus. Boyle valida calcinatione tres, aut quatuor drachmas ſalis fixi è ſanguine extraxit, quæ ſalem marinum referebat. Jure igitur, inquit Lanciſius, cum evidenter ſal acidum in ſanguine contineri manifeſtum ſit, concludi meritò poteſt, idem ſal acidum (obſtetricante Chymia) ab eodem extrahi poſſe. Nitrum, cujus naturam egregiè nos docet Mayovv, reſpiratione, chyliſque ſemita ad ſanguinem propulſum intra ſe ſpiritum acidiſſimum continet. Præterea nonne plurima olea ex ſanguine eliciuntur? quorum duo profectò portentoſa ſunt, flavum unum, rubrum alterum, quæ nulla arte (ſive ob ſuperficierum incongruitatem, ſive ob inſigne diſcrimen ſpecificæ gravitatis) inter ſe miſceri poſſunt. In ramoſis autem oleorum particulis acida captivantur. Fortaſsè natura in ſtatu ſanitatis in ſanguine per fermentationem diſgregat ſalis acidi particulas, ne hoc genus ſalis, cum particulis valdè acuminatis donetur, nervoſas tubulorum membranas irritando dolorem pariat, & corrugationem vaſorum parietibus inferat, quæ movendis velociter fluidis impedimento eſſet. Hinc fit nos in ſanorum ſanguine ſaporem acidum non percipere, nam diſgregatæ ſalis marini particulæ vim fungoſas linguæ papillas movendi non poſſident, non enim objecta ſub quacunque mole corporis ſenſoria movere poſſunt. Ubi verò ſanguis è venis eductus eſt, cum ſalia, quæ ſunt ejuſdem generis, in

unum

unum confluant, ut videre eſt in ſalium cryſtallizatione, vim velſicandi guſtus ſenſorium adipiſcuntur. In ſanguine plures alkalicæ particulę reperiuntur, intra quarum meatus ſic acidorum ſpicula ſubinde ſe ſe inſinuant, ut inconſpicua fiant, non verò ſe mutuò deſtruant, ut quibuſdam rem perfunctoriè obſervantibus viſum eſt; nam ab invicem, integris viribus, ſeparari poſſunt, ut videre eſt in oleo vitrioli, & ſale tartari, & nitro quoque, quod ex acido, & alkali coaleſcit. Nitrum ex præfatis principiis fieri probatur ſic cum Mayovv: ſi ſpiritus nitri acidus cuivis ſali alkali admiſceatur, aut alkali vices ſubeunti ſali volatili purè ſalſo affundatur, ex mutua amborum congredientium lucta, inſignique æſtu ſal nitrum generatur, quod igni injectum promptè deflagrat: ut videatur nitrum ad prælia, hoſtiliaque inſidia aptum natum eſſe, quod ita ex mutua principiorum contrariorum pugna, ipſaquè inimicitia ortum trahit. Etſi acida ex ſanguine non educerentur, non tamen ſtatim ſtatuendum eſſet ibi ſalia id genus deſiderari. Ad vitri ſyntheſim ſal, & terra concurrentes tam arctum ineunt connubium, ut nullo artis molimine queant ab invicem ſeparari. Aurum quoque ex principiis tam firmiter unitis conſtat, ut quælibet ars ad hæc extrahenda inanis ſit. Ut etiam in ſtatu ſano acida non darentur in cruore, illorum exiſtentia ibi in quibuſdam morbis in dubium revocari nequit. Ego ſæpe in endenatis ſaporem ſeri ſanguinis valde acidum deprehendi hacque in perceptione non allucinabar, nam hoc ſerum ſyrupo de ſucco Violarum admixtum illi rubedinem conciliabat.

Aliqualis concretio ab acidis tributa chylo (ſic loquor, quia acida ſe ſolis nunquam, ſed ſemper unà cum aliis ſuccis chylo admiſcentur) à prima ad ſecundam regionem progredienti à pluribus cauſis proſsùs tollitur. Saliva, quæ perenniter ab ore per œſophagum ad ventriculum, & inteſtina delabitur, ſubitquè venas lacteas, chyli lentorem, viſciditatemquè contractam ab acidis deſtruit eſt ſiquidem ſaliva menſtruum præſtantiſſimum, quod lapides, oſſa, & ferri fragmenta diſſolvit. Quædam cibaria una, vel altera vice ore volutata ſuas paſſiones exuunt, aliaſque omnimodè diverſas à ſaliva mutuantur. Bilis, cum magna

vi

vi incidendi prædita ſit, influere poteſt in chyli ſubactionem. Pictores, ut concilient fluiditatem pigmentis bile utuntur. Ea ad duodenum inteſtinum deducitur juxta mentem Nemeſii, Malpighii, Bonhi, aliorumque, ut admixta chylo illum ſubtiliſſimum reddat, ſicque diſponat ad expedite ſubeundam viam lacteam abdominis, & ad citò contrahendam ſanguinis indolem. Fluidum glandularum inteſtinalium perpetuò per vaſa lactea excurrens, ne parietes horum vaſculorum ſubſidentes aglutinentur, admixtum chylo ejus concretionem removet. Motus periſtalticus ventriculi, & inteſtinorum, motus in inſpiratione deorſum diaphragmatis, actio muſculorum abdominis chylum ſanè ſubigunt, quod præſtant quoque glandulæ meſenterii (quæ cum multis fibris carneis donatæ ſint, à quibuſdam Anatomicis muſculorum albo adſcribuntur) dum contractionibus chylum intra ſuum ſinum receptum ulterius trudunt. Uberrimæ arteriæ per meſenterium excurrentes, juxtà quas feruntur vaſa lactea, dum ſua diaſtole in majus excreſcunt ſpatium, nequeunt non mediantia vaſa lactea comprimere, contentumque ibi chylum ſubigere, & ad minima dividere. Omnia lymphatica abdominis, & artuum inferiorum in chyli cyſternam exonerantur, lymphatica pectoris in ductum thoracicum, capitis in venam jugularem externam, ubi cum axillari connectitur. Quis autem non videt, cui comperta ſit lymphæ natura, per hanc valdè chyli fluiditatem promoveri? ductus thoracicus, qui ad venam ſubclaviam ſiniſtram exporrigitus, mediat inter ſpinæ vertebras, & magnum Aortæ truncum, à cujus inſigni diaſtole magnoperè comprimitur. Fluida, quæ perenniter in venas lacteas impelluntur, chylum ibi concreſcere non ſinunt. Hi omnes motus in chylum derivati ſanè nequeunt non illum ſub fluiditatis ſtatu detinere. Nunquam lac, cui affuſum eſt acidum, concreſcere poteſt, ſi validè agitetur, inhibente partium magnos contactus agitatione.

C. Cur amabò congeris hîc tot motuum cauſſas ex facto Anatomico petitas, quò oſtendas chylum acidis admixtum ſuam fluiditatem non deperdere?

M. Ubi tuæ opinioni non adhæream, teneor à te propoſita

argu-

argumenta infringere. Id, quod poſtremò de lacte tradidi, hanc petitionem arcere deberent. Quò tamen tuæ curioſitati luculentiùs faciam ſatis, rem ab altiori petam principio. Fluida, quæ in rerum natura dantur, ſunt in duplici diſcrimine, ut docet doctiſſimus noſter Guglielminus; alia ſunt fluida ab intrinſeco, ſeu ratione figuræ componentium, alia ab extrinſeco, ſeu ratione motus. Prima coaleſcunt ex particulis minimis, curvis, & lævigatis, ac proinde à ſuis componentibus fluidorum paſſiones ſortiuntur: promptiſſimè nimirùm alieno termino ſe accommodant. Ut corpus, nullà interpoſità morâ, quamlibet receptaculi figuram induat, debet ex iis partibus conſtare, quæ facillimè ab invicem ſeparentur, & quarum una promptiſſime ſupra alteram excurrat, quæ affectiones profectò ex præfatarum molecularum cœtu prodeunt. In hoc fluido detur utique motus, minima enim componentia, cum curva ſint, nequeunt non, dum in unum confluunt, inconſpicuas intercapedines efformare, intra quas materia ætherea ſe ſe inſinuans (cujus paſſiones exactiſſimè deſcriptas legimus in tractatu de Æthere à præfato noſtro Guglielmino nunquam ſatis commendato, confecto) illis agitationem conciliat. Iſte tamen motus ejuſmodi fluidis competens, iis fluiditatem non impertitur. Aqua ſive ſit calidiſſima, ſive frigidiſſima, dummodò in glaciem non concreverit, ſemper exhibet eoſdem gradus fluiditatis. Fluida verò ab extrinſeco coaleſcunt ex particulis, quarum multæ, cum magnorum contactuum capaces ſint, ſi in unum coeant, difficilimè ab invicem ſeparabuntur, ut videre eſt in laminis ſimul junctis; ac proindè non poterunt expeditè ſe alieno termino adeptare. Hæc autem fluida motu egent partium magnos inhibente contactus dumque majori, vel minori motu prædita ſunt, majores, vel minores poſſident fluiditatis gradus, ut videre eſt in metallis, pinguedine, cera, aliiſquè, quæ, prout magis, vel minus à calore agitantur, majorem, vel minorem fluiditatem nanciſcuntur, deperditoquè omnimodè motu, partibus in mutuos amplexus ruentibus, in corpus firmum concreſcunt. Hujus porrò claſſis eſt chylus, quapropter mirari non debes me probaturum chylum acido immixtum fluiditatem non deperdere, tot motus in illum derivatos in propatulo poſuiſſe.

Sa-

Salia mutare figuram, neque una in aliam ſpeciem tranſire, & ſi quidam Recentiores id ſcripſerint, ut Bourdelin, qui nititur oſtendere ſalem marinum in nitroſum converti, mihi memoriâ tenenti valida præſtantiſſimi Guglielmini argumenta, valdè ſuſpectum eſt, ſi loquamur de ſalibus primigeniis, inter quę collocandus eſt ſal marinus. Ea verò ſic diſgregari, ut ſenſum non afficiant, vel ex inſipidarum rerum conſortio vim novum ſaporem procreandi acquirere, ultrò concedo. Sanè, cum in ſeparatis ſalibus ſæpe idem omninò ſapor non percipiatur, qui in toto compoſito deprehenditur, patet mixturam ſalium cum maſſa, cui naturaliter inſunt, producere aliquam ſaporum diverſitatem. Revera non ſolum particulæ ſalinæ cum aliis moleculis ſalinis, verum etiam ſubſtantiæ inſipidæ cum ſapidis variè implicitæ plurimùm inſerviunt ad gignendos, alterandos, & quandoque occultandos ſapores, quod hiſce experimentis probat Boyle, ubi agit de mechanica ſaporum origine. Dum ſpiritus acidiſſimi nitri inſipidum argentum diſſolvunt, ipſi, & argentum quoque inſignem adeo amarorem contrahunt, ut nequeat cum illo fellis, vel abſinthii componi. Si acidus nitri ſpiritus miſceatur cum acri oleo tartari per deliquium, ex utriuſque miſcella tertium corpus inſipidi saporis reſultat. Ex inſipido corpore minii, vel calcis plumbi in menſtruo acerrimo aquæ fortis, vel ſpiritus nitri diſſoluto dulcis prodit mixtura. Acidus vitrioli ſpiritus, & indicatum oleum tartari ſimul juncta abeunt in tartarum vitriolatum ſaporis leniter ſalſi, vel ferè inſipidi. Acetum pulvere oculorum cancrorum impregnatum, dulce evadit, ſpiritus ſulphuris terræ ſigillatæ junctus ſaporem acerbum, inſtar aluminis, adipiſcitur. Plura alia hujus indolis legantur penès Philoſophum Anglicum. Guglielminus quoque ſenſit mixturam ſalinarum particularum cum aliis rebus novos ſapores parere, dum ſic ſcribit — Si autem quis quærat unde ſtipticus ſapor in alumine, & vitriolo manifeſtus ortum ducat, reſponderi poteſt, & fortaſſe non abs re, eum non tantùm ex angulis prodire, quantùm ex aſperitate planorum angulos componentium, hunc autem procedere à mixtura heterogeneorum cum ſalina ſubſtantia commixtorum, præcipuè verò à terra, & particulis mineralium, quorum in utroque præſentia citra dubium eſt.

C. Qui

C. Quî ſit hæc ſaporum immutatio?

M. Hoc contingit, quatenus molecula emergens ex ſalibus diverſæ naturæ, vel ex partibus ſalinis, & inſipidis eſt ita magna, vel obtuſa, ut guſtus ſenſorium afficere nequeat, vel ſi retinet aptitudinem movendi fungoſas linguæ papillas, eas languidè movet, aut in iis tales motus excitat, qui plurimùm differunt à motibus, quos ſe ſola agens procreabat. Si particulæ ſalinæ non perpendiculariter, vel obliquè, ſed horizontaliter ſupra linguam moveantur, ad inſtar acuminum pectinis carminativi jacentium, vellicare non poterunt guſtus ſenſorium. Si acidi ſpicula intra alkali meatus incuneentur, vel minimè ſenſorii poros ſubibunt ratione craſſitiei, vel ſi aptitudinem retinent penetrandi linguæ meatus, ad inſtar enſis vaginâ incluſi, languidam excitabunt motionem. Quandoque plurima acumina ſalium in unum coeuntia quamdam latam extremitatem conſtituunt, cui linguæ pori impervii ſunt. Poteſt etiam contingere luctam ex acidi, alkalique congreſſu emergentem tantam eſſe, ut particulę ſalinę ſubtiliatę in auras abeant, præſertim ubi cum ſulphureis copulentur, hocque nomine ſaporem deperdamus.

In piſcibus fermentationes valdè languidas eſſe plurimùm dubito, cum videam Lucios piſces, Antropophagos, volatilia rapacia, nec non quædam terreſtria bruta emulantes alios piſces devorare, citiſſimè digerere, inquè ſanguinem immutare quòd nequit cum fermentationis languore copulari. Frigus, quod in piſcium vitali fluido percipitur, non eſt ſolidum argumentum probandi motum inteſtinum in humoribus piſcium languidum eſſe fermentationes ſiquidem inſignes cum frigore fiunt. Tantus vir, ut fuit Homberg, in errorem adeo craſſum, qualem tibi fingis C., nequaquam potuit incidere. Si mortuis datum eſſet ab Inferis revocare greſſus, ſuperaſque evadere ad auras, animuſque ſejunctus è corpore iiſdem oblectaretur ſtudiis, quę illum in corporis carcere detentum ad ſe trahebant, plurimum ſanè obſtupeſceret hic Philoſophus videns Hominem in operibus à ſe editis, ut tu es, vetſatum ſibi enormiſſimum errorem tribuere. Rubedo à præfato liquore in elitropii tinctura producta non

erat languida, qualis debuiſſet eſſe, ſi liquor ruber, quà ruber eſt, in ea operaretur: erat rubedo ſaturata, & potiſſimùm illa à liquore rubro ex hirci ſanguine elicito in indicata tinctura procreata, colorem enim igneum omnimodè referebat, majorque erat eâ, quæ vel in ipſo liquore rubro dabatur, ac proinde vides eam petendam eſſe duntaxat ab acido in hoc liquore deliteſcente.

C. Quædam experimenta à te ſuperiùs adducta ſolidè non probant in humano ſanguine acidum reperiri. Fateor utique in ſanguine è vena elicito, inque talci lamina exſiccato ſalem acidum deprehendi; verum cum ejuſmodi ſanguis aeri expoſitus ſit, in quo moleculæ acidæ luxuriant, incertum eſt, an acidum, quod hic detegitur, ex aere depromptum ſit, vel in ſanguine latitaret. Dum ex calcinato ſanguine elicitur acidum, ſubſtantia hujus indolis poteſt ab igne procreari. Ignis, ut obſervat Leonardus è Capua, quædam ſalia dulcia reddit amara, quod ubi præſtet, poteſt quoque quaſdam ſalium compoſitorum particulas ita immutare, ut contractis peculiaribus affectionibus mechanicis, ſic fungoſas linguæ papillas moveant, ut animam determinent ad acidi ſaporis perceptionem. Præterea in corporibus ignem paſſis, ut obſervat Boyle (quem Anglicum Doctorem non laudo, cum omni laude ſuperiorem exiſtimem) multoties ignis captivatus remanet. Porrò cum ignis acidam indolem nanciſcatur, aciditas in hujuſmodi ſanguine detecta, poteſt ab igne proficiſci. Ego utique experimenta in rebus phyſicis plurimi facio, dummodò ſenſus noſtri ſub iis conditionibus poſiti ſint, in quibus errori obnoxii non ſunt, reſque ignem expertæ ab eo non alterentur: mihi namque compertum eſt naturam Protheum æmulari, qui ſolumodò ſuam vim induendi quamcunque formam prodibat, ubi manibus arctè comprehenderetur, ac proinde eam vexari debere, quò nobis ſua recludat arcana.

M. Non in quacunque aeris parte ſemper degunt ſalis marini particulæ, ac proinde, cum hæ ſemper in hujuſmodi ſanguine reperiantur, eas aliunde petere debemus: nequeunt autem aliunde derivari, quàm ex cibariis, quæ hujuſmodi ſale condiun-

diuntur. Inficias non eo ignem quandoque ſalium compoſitorum affectiones mechanicas immutare; verùm cum ignis modò unam, modò alteram paſſionem procret in partibus a ſe ipſo exagitans, perpetuòque hæc determinata ſpecies ſalis hic obvia ſit, qua utimur ad cibariorum condimentum, eam ignis effectum non eſſe ſentiendam eſt. Quo circa ſal marinus cum chylo in ſanguinem deducetur; ibique ſuam indolem, pluribus admixtus ſuccis, tuebitur. Experimenta ſanè in rebus phyſicis fieri debent, natura namque ſenſibus admovenda eſt. Qui naturam, Peripateticorum ad initar, ex tutri contemplantur, aereas, ac proinde futiles rerum cudunt ideas.

Non Recentiores ſolùm, Ettmullerus nempe, Sylvius de Leboe, Harris, Lanciſius, Baglivius, Vieuſſentus, Homberg, aliique in ſanguine acidum collocant, hoc idem quoque preſtitit Hippocrates in aureo libro de veteri Medicina, in quo genuinas morborum cauſſas expendens ſic ſcribit – Non ſicco, neque humido, neque calido, neque frigido, neque horum quoquam Hominem lædi exiſtimarunt (loquitur de præſtantiſſimis Medicis Veterum) neque horum aliquo ei opus eſſe. Sed quod in uno quoque potentius eſſet, & ſupra naturam humanam, adeò ut ab ea ſuperari non poſſet, id lædere conſuetunt, & tollere conati ſunt. Eſt autem valentiſſimum inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & quod in una quaque re ſummum eſt. Hæc enim Homini ineſſe, eaque nocere videbant. In Homine namque ineſt, & amarum, & ſalſum, dulce, & acidum, acerbum, & inſipidum, aliaquè infinita, quæ pro copia, & viribus varias habent facultates. Et hæc quidem mixtione, & mutua inter ſe contemperatione, neque ſentiuntur, neque quemquam moleſtia afficiunt: at ſi aliquid per ſe extiterit, tunc, & conſpicuum ſit, & Hominem lædit. Vides ergo C. morbos ab acido pendentes à Mundo non exulare, cum nervosè probatum ſit acidum in ſanguine contineri.

C. Si cauſſa Variolarum eſt acidum volatile, cur ut plurimum ſolùm in extima corporis ſuperficie, non verò in internis quoque partibus figendo ſanguinem Variolas gignit?

M. Tibi petenti cur præfatum principium cruorem, ut plurimùm ſolùm in extima corporis ſuperficie figat, faciam ſatis, ubi tu prius mihi dixeris cur cantharides veſicam exulcerent, opium liget ſpiritus animales, lepus marinus pulmonibus infenſus ſit, ſolanum ſtrangulationem inferat, ab aſſumpto napello lingua adeo intumeſcat, ut ore vix claudi poſſit, aqua fortis ferrum, aqua regia aurum diſſolvat? Et, ſi loquamur de remediis, cur hæc cerebro, illa ſtomacho, quædam hepati, nonnulla cordi medeantur?

C. Nihil amplius addo, video quò tendat hæc interrogatio. Si enim dicam exaratos effectus haberi, quia adductæ cauſæ habent peculiarem diſpoſitionem agendi potiùs in hanc, quàm in aliam partem, meæ petitioni idem repones, dices nimirum excogitatum principium vim habere ſuo tono cutim privandi hac autem debilitata, ſanguis hùc appellens ſtagnare cogitur, ob quam remoram partes illius ruentes in mutuos amplexus corpus firmum conſtituunt, quæ cruoris grumefactio a natura præfati principii fovetur, & augetur.

M. Ita ſanè, ſupereſt ne tibi aliquid proponendum contra meam ſententiam?

C. Nequaquam, omnia, quæ meæ menti obvia facta ſunt, audiviſti.

M. Proſequar ergo inchoatam de Variolis diſſertationem. Cum ſint Variolæ morbi contagioſi, qui nondum illis correpti ſunt, ab infectorum commercio caveant, ne morbus ad illos ſerpat.

C. Ex tuo vix inchoato ſermone arripio occaſionem te interrogandi: Puer, qui natus eſt ex matre, quæ dum illum utero gerebat, Variolarum morbum paſſa eſt, debet ne extra uterum in hunc morbum incidere?

M. Rationi conſentaneum videtur illum in utero matris Vario-

riolarum ægrotatione laboraſſe, ac proinde non debere extramatricem hoc morbo cruciari. Cum Variolæ ſint morbus contagioſus, infanteſque nacti tenellum corpus cujuſcumque maternæ impreſſionis capaces ſint, à matre in illos hujuſmodi morbus derivari deberet. Magis mehercule communicat mater cum ſuo fętu in uteri clauſtris contento, quam puer cum aliis pueris; ergo cum puer infectus Variolis, eas communicet aliis pueris cum ſe ipſo conſuetudinem habentibus, multò magis hoc præſtabit mater in fętu, cum quo vitalitèr communicat. Nihilominùs tamèn, cum mihi Doctores graviſſimi referant infantes in utero degentes, matre tunc temporis correpta Variolis, in lucem editos hunc morbum poſtmodùm contraxiſſe, ſcribatque Vir celeberrimus Antonius Sidobre in ſuo pulcherrimo de Variolis tractatu, ſe ſæpe prægnantes immaculato fętu Variolis vexatas vidiſſe, ingenuè fateor multos ex noſtris diſcurſibus, qui videntur magni momenti, inoffenſo pede non currere, remque acu tetigiſſe Ariſtotelem in lib. 8. Metaphyſicæ ſcribentem, ſenſum deſerere, ut rationi adhæreamus, mentis imbecillitatem eſſe. Et ſi ipſe poſtea contraria incedens viâ, quò à ſuo Præceptore valdè recederet, naturam ex turri contemplatus (ſunt hæc famigeratiſſimi Bacconi Verulamii vocabula) fuerit, ſi Problematum, & hiſtoriæ naturalis libros excipias, in quibus naturam ſenſibus admotam perfunctoriè obſervans nobis ſæpe præbet errandi occaſionem. Infans matris morbo tunc non laborat, vel quia Variolarum ſeminium ad fętum non appellit; vel quia illuc deductum nequit operari. Utramque propoſitionem ita probo. Quandoquè è matre mortua vivus fętus extrahitur: magno ſanè argumento non ſemper morbos matrem torquentes fętum invadere. Si petas qua ratione hoc fieri poſſit, reponam. Ut Chymicus è vino corrupto extrahit ſpiritum ardentem optimæ indolis; ita natura è vitiatis matris fluidis quandoque ſanos ſuccos educit pro fętu, quia in præfatis fluidis non datur totalis corruptio. Ego cognoſco Hominem, qui citò ſemper fit valetudinarius, vegetè tamen corporis partes exercet, ac ex ſua conjuge honeſtiſſima quotannis filium ſuſcipit: quod nequit fieri, ubi ab inquinato ceteroquin ſanguine in glandulis corticalibus cerebri, in teſtibus, aliiſque generationis organis

ſucci bonæ indolis non ſeparentur. Audiamus de hac re præfatum Sidobre diſſerentem — Quamquam enim fermentum in gravidarum ſanguine ſit expeditum, faciliùs tamen in cutis glandulis ſeparatur, quàm in vaſis uteri lacteis, quæ non ſunt æquè, ac cutis glandulæ ad ſeminium excernendum comparatæ. Si verò Variolarum fermentum ad fętum deducitur, ab illius fluidis languidè, ob defectum reſpirationis, fermenteſcentibus, ac proinde glutinoſis, iterum vincietur. Te tamen monitum volo cum indicato Doctore Gallico penes Foreſtum, Coleum, Rhodium, Pechlinum, alioſque adeſſe gravidarum exempla, à quibus Variolæ ad fętum progreſſæ ſunt: quod innotuit ex maculis, quæ in lucem editis infantibus erant conſpicuæ. Hoc idem legitur in Ephemeridibus Germaniæ. Ubi Variolæ prægnantes invadunt, eas ut plurimùm tam dirè vexant, ut abortus periculum immineat, & ipſæ plerumque hemmorrhagia uterina moriantur. Qui prægnantes Variolis vexatæ tractandæ ſint, primus omnium nuperrimè, indicavit clariſſimus Bellingerus, quem Doctorem Medici conſulant, vel adeant Acta Eruditorum Lipſiæ Menſis Februarii A. 1722. p. 92. ubi hujuſmodi prægnantium medella à Bellingero propoſita continetur.

Revertor ad indicandas Variolarum affectiones. Quandoque Variolis malignitas adnexa eſt, interdum igitur admodum lethales ſunt, & dùm graſſantur communitèr catervatim interimunt pueros, ut Bononiæ contigit anno 1720., quo quatuor millia circiter puerorum interierunt. Obſervatum eſt ſæpe peſtem præceſſiſſe Variolas, vel peſtem Variolas excepiſſe: profectò indicato anno ſic pueris infenſo peſtis Maſſiliæ magnam ſtragem edidit, & in alias Galiæ Civitates illapſa ſuam ſęvitiam exercuit. Arabes ferè omnes, qui de Variolis verba faciunt, monumentis mandarunt, quòd cum Variolę multiplicantur, & publicè graſſantur, futuram peſtem præſagiunt. Hinc ritè ſentit famigeratiſſimus Ramazzinus, ſi conſtitutio aliqua Varioloſa inter pueros caput efferat, morboſum aliquid in aere deliteſcere.

C. Quonam anni tempore Variolæ ſe magis produnt, quodque temperamentum, & quænam ætas in illarum eruptione minùs, & e contra magis laborat?

M. So-

M. Solent Variolæ ut plurimùm Vere potius, quam aliis anni temporibus procreari. Hac tempeſtate funduntur humores, corpora laxantur, & rarefiunt. Vere profundum corporis expurgatur, inquit Galenus, vitioſis humoribus a partibus interioribus, & principalioribus ad cutim pervenientibus, ſicque fiunt Lepræ, Vitiligines, Impetigines, & puſtulæ. Autumno verò corpora animalium coguntur, & denſantur, ac multò magis Hyeme, qua, ut in ſerpentibus non deſiderantur venena, ſed torpent: ſic multorum animalium corporibus inſunt utique morborum cauſſæ, ſed, præ frigore, nequeunt operari. Æſtate magnopere à calore ſanguine excalefacto, patulaque valde reddita cute, pravæ indolis moleculæ, quæ è compedibus liberantur, nequeunt diù intra corpus coerceri, ſed qua data porta ruunt. Hinc æſtivi morbi plerumque breves ſunt, ut in Quartanis, ſcabie, aliiſque videre eſt. Dictum eſt ut plurimum, quia quandoque etiam caput extollunt aliis temporibus, præſertim ubi illa à ſuâ naturali temperie recedant. Rhaſis meminit Autumni valde calidi, & ſicci, quo ita dominabantur Variolæ, ut omnes pueri in illas inciderint. Morbus hic Autumno, vel Hyeme genitus difficiliùs curatur, quia natura tunc temporis ſegnis eſt, cutiſque meatus ſunt minus patentes. Variolæ Æſtate è latebris emergentes præ reliquis feliciùs curantur. Quoad aliam quæſtionem reſpondeo eas promptiùs egredi, minuſquè eſſe periculi, ſi fiant in ætate puerili, aut infantia, & habitu corporis bono, ſi in familia, cujus anteceſſores ab illis evaſerint, ſi ſecùs, æger eſt in vitę diſcrimine. Doctiſſimus Boerheaave in hanc rem ſic ſcribit — Eſt ut plurimùm epidemicus verno tempore primo incipiens, æſtate creſcens, languens autumno, hyeme ſequenti ferè cedens, vere iterum eodem modo rediturus. Quò citiùs in hyeme incipit, eò violentior, quò ſeriùs eò mitior erit morbi natura. Hinc liquet, quo anni tempore periculoſior. Occupat omnem ætatem, ſexumque, maximè autem pueros, eoſque qui hactenus hunc morbum nondum paſſi ſunt. quò ætas humida plùs diſſipavit, fluida magis coegit, eò violentior morbus. Hinc pueris, mulieribus, mollibus, laxis facilior exercitatis, viris, ſenibus pejor. Hęc hodiè de Variolis dicta ſint ſatis, die craſtina circa illarum curationem ſermo verſabitur.

CONGRESSUS ULTIMUS.

Marcellus, & Camillus.

M. CUm hodie quoque tutus non ſit humi decubitus nondum à Sole, ventique flatu illius imbibita humiditate diſſlatæ, ad eam porticum, quæ ad orientem Solem vergit, reſpicitquè ampliſſimum mare proficiſcamur. Ego ibi ſæpiſſimè naturæ contemplationi vacans, quæ ab ejus interiori depromo ſacrario, amicis libentiſſimè impertior. Adde quod, cum Domi propinqua ſit, tibi laborandum non eſt, ut huc te conferas, & acciri ſervi percommodè poſſunt, ubi eorum indigeamus miniſterio.

C. Quocumque ibis te pronus ſequar, cui plùs debeo quàm Parentibus ipſis ob multiplicem eruditionem ex tua conſuetudine in meum animum derivatam. Ego tibi ita addictus ſum, ut ubicumque ſim, te ſemper oculis obverſantem habeam, dumque dormio felicia ſomnia me à te divelli non patiuntur, mihi ſiquidem videor tunc temporis quoque tuis doctiſſimis gaudere colloquiis.

M. Ego, qui te antea amabam, nunc diligere incipio (comperta tam inſigni erga me propenſione) teque omni animi ſenſu complector, ac omnem lapidem in poſterum movebo, ut tanti in me amoris te non pœniteat. Sed omiſſis mutuæ dilectionis argumentis Variolarum curationem aggrediamur.

Hactenus fusè nimis de Variolarum cauſſa locuti ſumus, cum non quid faciat, ſed quid tollat morbum, præcipuè inquirendum ſit à Medico. Antequam ad hujus morbi curationem deveniam, candidè noto plures divites, quam pauperes Variolis interire: fortaſsè quia hi Variolarum medellam naturæ committunt, illi Medicos acceſſunt, qui lubricis pharmacis ſæpe Homines officioſiſſimè occidunt, ut cum Plinio loquar. Hoc idem hiſce verbis innuit celebris Sydenham – facile erit ſolvere illud problema qui fiat, ut perpauci adeo è plebe hoc morbo pereant,

realt, ſi ad eos comparentur, qui inter divites eodem trucidantur, quod quidem vix ad aliam cauſſam referri poteſt, quam quod, ob rem domi anguſtiorem, & agreſte vivendi genus, vix illis fiat copia ſibi nocendi regimine magis accurato, & delicatiori. Profectò multociès plùs eſt à Medico, quàm à morbo periculi: & ſæpe ægro nulla rectior eſt ad ſalutem via, quàm Medico caruiſſe: eo preſertim, qui otiari neſciat, ignoretque ut in arte militari, ita, & in medica non rarò cunctatores Fabios plurimi faciendos eſſe. Natura morborum medicatrix, inquit Galenus, & erudita eſt, etiamſi rectè facere non didicerit. Multorum ægrorum animus, adultorum nimirùm, ſæpe obfirmandus eſt duntaxàt, ut ſe à morbo liberatos iri ſperent, hacque ratione morbi incrementum à metu mortis, ut imminentis apprehenſæ illis ſuperventurum arceatur. Ejuſmodi præſidio pueri non indigent, quibus metus mortis levem incutit timorem: puerilis namque ætas haud gravioribus curis patet. Paracelſus ritè in hoc unum incumbebat, ut adultos ægros ſibi creditos in ſpem recuperandæ ſanitatis adduceret. Multi ſanè ad fatum venere ſuum, dum fata timent. Quot Homines longævi fierent, ſi ſubinde aſininum caput induentes, ab animi pathematibus corpus labefactantibus liberarentur. Famigeratiſſimus Sectanus, quò oſtendat ægros ſemper Medicis adhærere non debere; ac ſæpe proficuum eſſe à remediis abſtinere, Malpighium in campis Eliſiis, juxta Poetarum commenta, degentem movet ad inquirendum ex ſe hujuſmodi loca adeunte, quid novi ab Urbe referat, cui ſic reſpondet —

> ——————— *Læta omnia, namque ſupremus*
> *Claviger ætatis non ſentit damna, ſuiſquè*
> *Viribus innixus veſtris non indiget herbis,*
> *Pæoniaſque artes, & lubrica pharmaca ridet.*

C. Ego quoque hanc Sectani ſatyram legi. Poeta Malpighium, ob auditum Medicinæ contemptum, irâ percitum ad ejus ſtudia alludens ſic deſcribit.

> *Exarſit, ſeſtoquè genas mihi perlinit ovo,*
> *Quod modò de natibus gallina traxerat, inde*
> *Futuram ingenii cupidus dignoſcere pulli.*

M. Poe-

M. Poetę aliquid dandum eſt. Malpighius, qui intus, & in cute noverat Medicinam, paucis, iiſque, ut plurimùm, ſimplicibus utebatur remediis, quod ejus conſultationes medicæ teſtantur, indicatquè ipſe in opere poſthumo hiſce verbis – Ego puto (loquitur de remediis) nimiam eſſe copiam: etenim undique proſtant praxes, antidotaria, & pharmacopœę, in experientia remediorum non invenio illam felicitatem, de qua ſcriptores gloriantur, vellem Reformatorem, qui ea ad pauca, & tuta redigeret. Verùm quod caput eſt, duellum non exigit plures enſes perfectè acuminatos, ſed ſæpè unum tempeſtivè adhibitum. Baglivius in hanc rem ſic ſcribit. – Si alicubi, certè in Medicina multa ſcire oportet, & pauca agere, præſertim dum ad curationem morborum, vel nimis acutorum, vel complicatorum deſcendimus. Parcat igitur ignarum vulgus, parcant & Medici tantis remediorum formulis. nam ſæpiſſimè quies lecti, & quies à negotiis, ipſaque demùm à remediis abſtinentia morbum jugulat, quem uſus illorum fruſtraneus magis exacerbaret. Nil aptiùs ſanè ſcribi poterat. Quot ex Sudore Anglico, adhibitis pluribus præſidiis ab Appollinis arte petitis, interiere! Ubi verò Medici ſuos conatus ad ſalvandos ægros irritos eſſe videntes à pharmacis abſtinuerunt, mors, quæ diu antea hilaris hàc, illàc motu perniciſſimo ferebatur uberrimo pabulo gaudens, ſtatim velut tabe confecta, vultuque internum mærorem præſeferens, pedibus ęgrè inſiſtere cępit videns à graviſſimo morbo omnes penè ęgros evadere, è tua tenaciſſima memoria C. ſanè non exciderunt ea, quæ nos in primo congreſſu docuit Polydorus Virgilius de Sudore Anglico verba faciens.

Dum remediis utimur ea ſint vel ſimplicia, vel ſaltem parum compoſita, à compoſitiſſimis caveamus, cum in illis, ut pluſimùm, ingredientium vires ſe mutuò infringant. Mulierculæ (ut obſervat Bacco Verulamius) ſæpè feliciùs curant morbos, quàm Homines diù in praxi medica exercitati, quia hi plura ſimul miſcentes, rerum ad ſyntheſim concurrentium deſtruunt facultates, illę verò hac, vel illa Planta utuntur, cujus virtus à Parentibus indicata filiis, ab hiſce ad ſatos à ſe, nepoteſque derivatur. Dum plura ſimul miſcemus, illa vel ſunt ejuſdem, vel

di-

diverſæ virtutis : ſi primum, ex iis unum in majori doſi exhibeatur : ſi vero alterum, quid ex plurium rerum diverſæ naturæ coalitu, ubi nova fiat compoſitio, emergere debeat nos latet. Qui plura uniens nova condit remedia, Medicus audax eſt, ne dicam temerarius, qui Andabatarum more cum morborum cauſſis pugnare intendit. Infelices ægri ab hiſce Medicis tamquam à peſte cavetote, qui veſtras domos hilari vultu adeuntes, vos blandis verbis hortantur ad ſumendum pharmacum, quo præſtantius, ajunt ipſi, ad ſanitatem recuperandam in rerum natura non datur. Hi calliditatem ſub amicitiæ ſpecie occultantes remediis à ſe compoſitis meherculè negotiantur animas veſtras, & experimenta per mortes agunt. Vani Homines novi remedii, ut vim, ita doſim ignorant : in alterutra autem, ubi peccent, vobis dulcem vitam eripient, dumque veſtræ mortis authores ſunt, tranſit convicium, & intemperantia culpatur, ultròque qui periere, arguuntur, ut advertit Plinius. Utinam vigeret adhuc lex Cornelia de Sicariis, quæ hæc complectitur – Si ex eo medicamento, quod ad ſalutem Homini, vel ad remedium datum erat, Homo perierit, is, qui dederit, ſi honeſtus fuerit, in Inſulam deportetur, humilior verò capite puniatur. Deus quicquid ad magni, parvique Mundi conſervationem, & ad labefactatam naturam reparandam exigitur, luculenter produxit – Ægyptum, ut innuit Cicero, ubi de natura Deorum, Nilus irrigat, & cum tota æſtate obrutam, oppletamque tenuerit, tùm recedit, mollitoſque, & oblimatos agros ad ſerendum relinquit. Meſopotamiam fertilem efficit Eufrates, in quam quotannis magnos agros invehit. Indus verò, qui omnium fluminum maximus eſt, non aquâ ſolum agros lætificat, & mitigat, ſed eos etiam conſerit: magnam enim vim ſeminum ſecum frumenti, & ſimilium dicitur deportare &c. ſed heu cogor hanc amœniſſimam deſcriptionem rerum, quas Deus in magni Mundi bonum condidit, à Cicerone elaboratam abrumpere, ne nimis in longum protrahatur oratio. Ad duas igitur, quæ ſuperſunt, indicatæ propoſitionis partes probandas devenio, quarum alteram ſic cum Seneca evinco – Quicquid nobis bono futurum erat, Deus, & parens natura in proximo poſuit, non expectavit inquiſitionem noſtram, ultrò dedit &c. ut famem, ſitimque depel-

pellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, pati ſupercilium grave, vel contumelioſam etiam humanitatem, panem, & aquam natura deſiderat, nemo ad hæc pauper eſt, alteram verò ego ſic oſtendo. Ubi ingruunt morbi pulcherrimam utriuſque Mundi faciem deturpantes, Auctor naturæ noſtram duntaxat expoſcit induſtriam, quò à ſe procreata, quibus iis occurramus, detegamus auxilia. Porrò hæc præſidia ſimplicia ſunt ubi napellus pullulat, ibi anthora creſcit, Scorbutus in iis regionibus viget, in quibus plantæ illum profligantes gignuntur. Ut natura nos doceat ſimplicia ad tollendos morbos uſurpanda eſſe, multas illorum ſpecies eandem vim poſſidentes condidit, ut ſi aliqua penes nos non vigeat, aliæ ad ferendum auxilium præſto ſint: bruta ægrotantia non niſi ſimplicibus, duce natura, ad ſanitatem recuperandam utuntur. Guajaco, ſarſa parilla, radice chinæ, cortice peruviano, opio, mercurio, chalybe, antimonio, viperis, aquis mineralibus, terebinthina Medici morbos contumaciſſimos curant. Ut Deus ad vitam fovendam ſimplices nobis impertitur cibos, ita morbo languentem naturam ſimplicibus reſtituit remediis. Non fecit cerata, malagmata, emplaſtra, colyria, antidota, parens illa, ac divina rerum artifex. officinarum hæc: immò verius avaritiæ commenta ſunt, ut rectè ſentit Plinius. Jure meritò Braſilienſes populi, qui Veterum ſemitæ inſiſtentes ſimplicibus utuntur, noſtra, quia compoſita ut plurimum, traducunt medicamenta. Si quis compoſitorum remediorum vim probaturus ſic philoſopharetur (argumentum deſumitur ex Boyle, ubi agit de ſimplicium medicamentorum utilitate, & uſu) pinguedo, cera, & camphora ſunt ſubſtantiæ inflammabiles, mixtum conflatum ex nitro, carbone, & ſulphure, pulvis nempe pyrius facilimè flammam concipit, dum igitur hæc in unum confluent, tertium quid procreabitur pulvere pyrio longè præſtantius. iſte diſcurſus infirmus eſſet, pulvis ſiquidem pyrius illarum rerum admixtione debilitatur. Piſtor, qui panem ex farinis tritici, hordei, avenæ, zeæ, ſecalis, milii, fabæ ſimul mixtis conficeret, laboranti ſtomacho cibum ſanè non præberet gratiorem, vel ſalubriorem eo, quem ſimplex tritici farina ſuppeditat. Qui quò potentius aſſequatur remedium ſpiritus vini, & urinæ ſimul jungit, parturientibus montibus

tibus videt ridiculum murem, offam nimirùm albam, in lucem prodire. Antimonium, quod in ſubſtantia ad grana, ſcrupulum, vel etiam drachmam ſumptum nil ſenſibiliter evacuat, vimque poſſidet exſularandi, & corrigendi humorum acredinem, ſi colliqueſcat cum nitro, & tartaro, faceſſit in remedium, quod ſi vino infundatur, citra decrementum ſui ponderis, vim emeticam, & catharticam illi portentoſam conciliat, ita ut ejuſmodi vinum graviſſimam choleram procreet, ſic à Medicis vocatur ille morbus, in quo violenter supernè, & infernè humores evacuantur. Remedia compoſitiſſima proficuarum virium, cujuſmodi eſt Theriaca, fortuitò condita ſunt, ut caſu ex colliquatione plurium metallorum diverſæ indolis in unum confluentium, prodit perfectiſſimum Corinthi metallum. Theriacam Plinius excogitatam luxuriæ compoſitionem appellat, Leonardus è Capua Theriacæ, & Mithridati inventores ſentit temeritatis notam contraxiſſe, qui nullo conſilio tot res diſparis naturæ ſimul miſcuerunt, Malpighius in opere poſthumo ſcribit Theriacam præſtantiorem reddi poſſe, ſi ingredientium numerus minuatur.

C. Video te de vita parum ſolicitum eſſe mortui utique ſunt Quercetanus, Schroderus, & alii, qui à te damnata in Mundum invexere remedia, verùm plures diſcipulos reliquerunt, in quorum mentibus Præceptorum doctrina profundas egit radices, qui excandeſcendo (à tuis enim placitis magnoperè abhorrent) te lapidibus obruent. Prætereà videris alibi remedia nova approbare, in primo enim congreſſu, dum locutus es de peſtibus aliquid novi involuentibus, laudaſti Medicos, qui ad haſce peſtes expugnandas, nova excogitarunt præſidia. Sæpe dantur morbi complicati à pluribus cauſſis prodeuntes, ad hos autem curandos remedium compoſitum multiplicis virtutis exigitur. Si remediorum compoſitio à Mundo profliganda eſſet, quot remediis, quæ feliciter ad averuncandos morbos adhiberentur, deſtitueremur? Cathartica ferè omnia è Mundo extrudenda eſſent, nam cum illorum natura, ut plurimum venefica ſit, ubi hæc per aliorum miſcellam à deleteriis ad congruas non trahatur vires, ab iis abſtinere cogeremur, cathartica tamen tem-

pe-

poſitivè adhibita (quicquid ſecùs doceat Helmontius) contumaces morbos eradicant. Chymia, cui ægri, Medicina, Philoſophia, aliæque artes cùm liberales, tùm mechanicæ plurimùm debent, utpotè à qua ſingulæ magnæ notæ commoda traxerunt, trahentque in poſterum, clibanis, ampullis, menſtruis, igne coactis, ſollicitè fugam, juſto terrore contracto, arripere deberet, ſi conviciis, immò, & graviſſimis pœnis plectendi ſunt illi (ut ex tuo ſermone nullo negotio colligi poteſt) qui nova nobis exhibent remedia. Jurè meritò cenſet Galenus promoveri magnopere poſſe Medicinæ ſtudium, ſi Veterum excogitatis Recentiorum adiiciantur inventa, hocque nomine ars, quæ ad inſtar reliquarum rerum, principia habuit imperfecta, progreſſu temporis perficiatur.

Flumina magna vides parvis de fontibus orta
Plurima collectis multiplicantur aquis.

Et ſi, inquit præfatus Doctor, nemo noſtrum ſufficiat ad artem ſimul conſtituendam, & abſolvendam, ſatis tamen videri debet, ſi quæ multorum annorum ſpatio priores invenerint, poſteriores accipientes, atque his addentes aliquid, illam aliquando compleant, atque perficiant.

M. Ego ſemper liberè philoſophabor, quodque ratio, ſed præcipuè pluries, & pluries iterata dictat experientia, firmiter ſequar: nec me unquam Medicorum numerus quantumvis maximus ab hac ſemita abducet. Exemplum peſſimi turba eſt: Medicorum plerique, more pecudum, eunt quà itur, non quò eundum. Infinita in me congerant convicia, mortem ipſam intententent, nitentur incaſſum meum animum proſternere, quem illa non tangunt. Compoſita remedia, quibus plurima ſæcula favent, non improbo, damno tantum illa, quæ nulla urgente necessitate, modò fiunt, cum enim iſtorum, ut ſuperius tactum eſt, vis, & doſis ignoretur, ex horum uſu video ægros in vitę diſcrimen adduci. Ego in prǽſentia ęgrorum cauſam ago: ubi iſti Medicorum culpâ ceſſere fatis, nullus amplius eos ad vitam revocat, hocque nomine, præter alia plurima, vita noſtra ab anni temporibus abludit, quæ citò redeunt.

Nos ubi decidimus pulvis, & umbra ſumus,

Erep-

Erepta vita nunquam citra miracula reſtituitur, quæ ſanè Medici non patrant: eos ſiquidem intus, & in cute noſco, quique plurium Medicorum indolem ſcire deſiderat Petrarcham, & Cardanum conſulat. Dum dico Medicos miracula non patrare, loquor de Medicis mihi cognitis, deque iis, qui Petrarchæ, & Cardani ævo vixerunt. Cæterum olim quoſdam Medicos miraculis claruiſſe, inficias non eo. Sanctorum namque albo adſcribuntur Cyrus Alexandrinus, Dionyſius Diaconus, Joannes Damaſcenus, Pantaleon, Coſmus, & Damianus, aliique, qui Medicinę operam dederunt. Quolibet menſe in aris peculiares Sanctos veneramur, qui Medicinam exercuerunt, ut legere eſt penes VVeinhart in initio libri qui inſcribitur MEDICUS OFFICIOSUS. In novis morbis Epidemicis Civitates, & Provincias depopulantibus, qui nullam habeant cum cognitis ęgritudinibus affinitatem, quia Medicus, quò ſe vertat, ignorat, locum habent nova remedia, nam melius eſt anceps (ut cum Celſo loquar) quàm nullum remedium. Quocirca mirari non debes me in primo congreſſu Medicos remedia id genus in peſtibus aliquid novi involuentibus adhibentes, commendaſſe. Multoties plures morbi ab eadem cauſſa proficiſcuntur, locuſque ſolùm, ut verbis Hippocratis utar, differentiam facit, ac proinde ſimplici remedio curari poſſunt. Lues venerea, quæ eſt multorum morborum acervus, ab unico prodiens fermento, ſimplici tollitur remedio. Quando mixti morbi à pluribus prodeunt cauſſis, remedia ſimplicia (quę ſic appello, non quia ex partibus homogeneis conſtent, ſed quia per artem aliis rebus non admiſcentur) cum vim habeant polychreſtam, poterunt illas diverſas cauſſas profligare. Rhabarbarum facultatem laxativam, & ſtipticam nanciſcitur, Mars laxat, & adſtringit, hedera terreſtris aperit, contemperat, & demulcet, quod valet quoque de aliis. Pleræque ex cathartcis medicinis abeant in malam crucem: illarum utique natura venefica eſt, hinc fit, quod cum ſępiſſimè ab aliorum miſcella vis deleteria non emendetur, ex illarum uſu plures ægri extremum obeant diem. Felicia erant Hippocratis, & Galeni ſecula, quibus pauca hujus indolis remedia comperta erant. Chymia, quę pannicum timorem contraxit, componat animum, confuſaque inſtrumenta, quibus ubi pacata eſt, utitur,

tur, quę impoſita humeris extra hunc Mundum aſportare mittitur, deponat, & ſuis ſingula locis reſtituat. Prolata convicia in Artem non cadunt, quę non unit, at ſeparat ab invicem heterogeneas partes, ex quibus mixta coaleſcunt. Cum remediorum virtus utplurimùm in receſſu poſita ſit, Chymiam pluris facio, quę è medicamentorum ſinu latentem vim extrahit, liberatque ęgros à gravi onere magnas remediorum doſes ſumendi, illorumque ſtomachum in educendis è pharmacorum viſceribus, abditis facultatibus, laſſari non patitur. Robertus Boyle, qui innumeras notitias in Philoſophiam corpuſcularem invexit, illarum plurimas traxit è Chymia. Leonardus è Capua ſentit nullum Medicum poſſe tutò praxim exercere, qui priùs aliquot annis Chymię non vacaverit. Nova remedia à Chymia ſuppeditata conſilio uſurpentur à Medicis illis brutis, quę magis ad Hominem accedunt, priùs exhibeantur, poſtmodùm Homini, illorum doſis primò modica ſit, ut ſi non proſint, nocere nequeant. deinde paulatim augeatur, donec ad eam deveniamus, quę nullam noxam, immò magnum inferat ęgro levamen. Medicina ſanè, ut ritè ſentit Galenus, nequit niſi cum ſęculis adoleſcere, caſuſque, bruta, & ratio, quę illam procrearunt, eandem quoque alent omnia ſiquidem ab iis petunt alimoniam, à quibus traxere primordia. Caſum, nobis multorum remediorum facultates aperuiſſe Veterum, & Recentiorum monumenta teſtantur. Qui viperarum vis detecta ſit, ita ſcribit Aetius — Quod viperę carnes comeſtę purgent per cutim totum corpus, ex his cognoſcere licet, quę, quum adhuc juvenis eſſem, expertus ſum Homo quidam Elephantiaſi correptus abominabilis erat, & graveolens, itaque caſa prope vicum extructâ in ipſa degebat. Metebant autem in vicinio meſſores, quibus vinum in amphora apportabatur. Ubi ergo tempus bibendi adeſſet, meſſores vinum in craterem effundebant, atque ſic mortua vipera ſimul excidebat. Itaque plenum humanitatis opus ſe facturos rati, vinum ægrotanti elephantiaco largiuntur meliùs enim eſſe judicabant ipſum mori, quàm talem vivere vitam. Verùm is epoto vino, mirabili modo curatus eſt. Etenim univerſa ejus intumeſcens cuticula velut oſtreorum teſtorum decedebat, quantum ejus reliqui fieret, ſatis molle apparebat, ve-

lut

hit in locuſtis ; & cancris videre eſt , ubi teſtam exuerunt &c. Dictam quoque nobis caſus, ſive experientia patefecit – Aegrorum, ait Celſus, qui ſine medicis erant, alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum aſſumpſiſſe, alios propter faſtidium abſtinuiſſe, levatum magis eorum morbum eſſe, qui abſtinuerant: itemque alios in ipſa febre aliquid ediſſe, alios paullo ante eam, alios poſt remiſſionem ejus, optimè deinde his ceſſiſſe, qui poſt finem febris id fecerunt. Eademque ratione alios inter principia protinus uſos eſſe cibo pleniori, alios exiguo, gravioreſque eos factos, qui ſe implerent. Hæc, & ſimilia, cum quotidie inciderent, diligentes Homines notaſſe quæ plerumque melius reſponderent: deinde ea ægrotantibus præſcribere cœpiſſe. Sic medicinam ortam, ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu, pernicioſa diſcernentem à ſalutaribus &c. Virtutem dictamni cretici ſiſtendi ſanguinem, & extrudendi è corpore ſagittas illi infixas nos capræ ſylveſtres docuerunt. Hippopotamus, qui, authore Solino, ubi à nimia ſanguinis vi ſe graveſcere ſentit, arundinis caudici tamdiù ſe affricat, donec, apertâ venâ, ſanguis exuberans egrediatur, poſtmodùm, ubi ab infenſa ſarcina liberatus eſt, cœno fluentem ſanguinem ſupprimendo, venam obturat, nobis, juxta Crollii mentem, indicavit in plethora phlebotomiam uſurpandam eſſe. Bruta nos clyſterum uſum docuerunt. Capræ, & Cameli vim Cafè competentem abigendi ſomnum patefecerunt; Chiron verò Æſculapius, Hercules, & Achiles, dum centaureâ, eracleâ, aliiſque ſimplicibus amaris uti cœperunt, ratio ſolùm ad id præſtandum eos impulit. Quare cum ſæpè à Philoſophis naturam accuratè contemplantibus, & ratione utentibus, nova remedia detegantur, quæ Deus in Mundi primordiis procreavit, nullum ſanè ſæculum erit, quod Medicinæ non tribuat incrementum. Sed tandem ad Variolarum curationem deveniamus.

C. Si Variolarum morbus, ut ſuperiùs tetigiſti, ut plurimùm curatione non eget; pro illius ergo medella Medicus ſolicitus eſſe non debet. Cur igitur in principio noſtrorum congreſſuum dixiſti plura millia puerorum Variolarum morbo laborantium interire, quia Medici arti, quam profitentur, ſedulam non navant operam, & modò te ad illarum curationem convertis?

M. Dilectiſſime C. noviſſima primis cohærent. Ex morbis quidam ſanè à natura ſibi relicta curantur, ut videre eſt in brutis, quorum à ſtatu naturali receſſus ſępe ſine ullo remedio tollitur. Alii verò adjutrices Medicorum manus expoſcunt. Quapropter accurato Medico utrumque morbi genus compertum eſſe debet, ut ubi res poſtulet, manus non cohibeat, otietur verò dignoſcens ſe fruſtra naturæ ſuppetias allaturum eſſe. Hinc ſcripſit Hippocrates — Quæ judicantur, & judicata ſunt integrè neque movere, neque novare aliquid, ſed ſinere oportet. Alibi verò — non ſolum ſe ipſum pręſtare oportet opportuna facientem, ſed, & ægrum, aſſidentes, & exteriora. Porrò Medicus ſępiſſimè cura, vel incuriâ peccat, dum nimirùm intempeſtivè operatur, vel non agit illius opem implorante natura. Datur quoque tertia morborum claſſis artis mutæ pręſidio modò indigentium, modò non, dumque hęc ars advocatur, ea pro cauſſæ morbificæ diſparitate, diverſimodè operatur. Ad hanc claſſem ſpectant Variolæ, ut quamprimùm tibi innoteſcet, ac proinde oleum, & operam non perdit Medicus illarum curationem ſecundum regulas artis inſtituens.

Cum ex ſuperiùs traditis Variolarum fermentum ſit naturæ acido-volatilis, illius aciditas, ubi nimia ſit, temperanda eſt, quod ubi factum erit, debemus auxiliari naturæ, dummodò languida ſit, quò hujuſmodi fermentum ad cutim propellere poſſit. Impedimenta igitur removenda ſunt, pororum videlicèt cutis conſtipatio, exceſſus, vel defectus fermentationis ſanguinis. Primum obſtaculum non ſinit Variolas foras erumpere; quocirca ſic ſcripſit Avicenna — cum incipiunt Variolæ apparere, tunc infrigidatio erit cauſſa erroris magni, ex eo quod retinet ſuperfluitatem interius, & defert eam ad membra principaliora, cum eo quod non ſit poſſibile exire, & apparere, & accidit inquietudo, & anguſtia, & fortaſſe Syncope. Immò oportet, ut juventur ſuperfluitates cum iis, quæ faciunt ebullire, & aperiunt oppilationes, qualia ſunt fęniculum, apium cum ſaccharo, aut ſuccus eorum, vel decoctio radicum, & ſeminum. Nimia ſanguinis ebullitio confundeodo partes fermenti Variolarum cum ipſo ſanguine, illas ad cutim appellere non ſinit. Lan-

gui-

guida cruoris fermentatio Variolarum ſemen concentratum relinquit, cum illud nequeat à validis, quibus irretitum eſt, vinculis expedire.

In nimio ſanguinis fervore locum habet venæ ſectio in pueris quoque duorum, vel trium annorum ad uncias duas, vel tres. In infantibus hirudines binę brachiis apponantur, vel cucurbitulę locis conſuetis: ſic enim melius diſponitur natura ad expulſionem.

C. Audivi à pluribus Doctoribus per phlebotomiam, cucurbitulas, & hirudines impediri expulſionem ad circumferentiam, ſeu ebullitionem ſanguinis deſpumatoriam, & ſecretoriam turbari, ſimulque id ſubduci, quod inchoatæ ſecretioni quaſi pabulum, & impetum continenter ſuppeditare debet. Quare niſi apud me tua in Praxi medica plurimùm valeret auctoritas, non auderem præfatis uti remediis.

M. Miſſionem ſanguinis unà ſaltèm ex illa triplici via inſtitutam valdè prodeſſe Praxis docet, idque ratio quoque inſinuat. Immoderata ſanguinis turgeſcentia id peragit, quod facit plethora. Quapropter ut hęc obruit naturam, nec ſinit ſanguinem deſpumari, perquè corpus perfectè diſtribui: ità idem quoque ab immodica ſanguinis fermentatione in præſentia contingit. Ab exuberanti cruoris rarefactione compreſſis prę̀ter modum vaſis capillaribus, iis ſumma advenit anguſtia, perque illa extra erumpere nequit materia morboſa. Porrò cum per indicatas ſanguinis extractiones vitalis fluidi frangatur turgeſcentia, laxatis viis, liber aditus procreatur materię extra pellendæ. Videmus quoque Parotides felicius erumpere celebrata ſanguinis miſſione. Hæc medendi ratio fortiori confirmatur obſervatione. Si initio Variolarum, ſanguine plurimùm exagitato, contingat hæmorrhagia, citiùs, promptiuſque erumpunt Variolæ, & æger faciliùs ab illis liberatur. In ſummo ſanguinis fervore nunquam videmus ſanguinem deſpumari, ſeu criſes contingere, ſed ſolùm imminuta illius inteſtina agitatione: quod idem contingit in fluminibus, quæ, dum rapidiſſime feruntur, heterogenea corpora, & inæqualis ponderis ſibi inexiſtentia ſimul con-

fuſa vehunt; ſolùmque patiuntur ea è ſuo ſinu divelli, ubi incipiunt lentè moveri. Si aquæ in pelvi contentæ, in qua dentur corpora inæqualis gravitatis ſpecificæ, quæ ſibi incipiant locum, quem exigit gravitas eorundem, comparare, celerem motum turbinativum, ſeu vorticoſum conciliemus, corpora ſimul miſcentur, & nequeunt amplius ab invicem ſecedere, ubi præfatus motus non evanuerit, vel ſaltem fuerit plurimùm imminutus. Hanc doctrinam totis ulnis amplectens celebris Sidobre ſic ſcribit – cum ſanguis, vigente febre, valdè turgeſcat, & vaſa nimis inflentur, nulla ferrè fit ſordium ſeparatio, impurior quotidiè evadit ſanguis, febris accenditur, comprimitur cerebrum, ſpirituum ſecretio impeditur, nervi preſſione coanguſtantur, hinc eſt quod membra ſpiritibus deſtituta langueſcant, & vires debilitentur. At verò detracto larga manu ſanguine, omnis aufertur compreſſio, fluidior evadit ſanguis, faciliùs ſua recrementa deponit, remittitur febris, ſpiritus in Cerebro uberiùs ſeparantur, & in partes, nullo interpoſito impedimento, influunt. Vires ergo per venę ſectionem non ſubducuntur, ſed potius reſtaurantur. Inſtituta ſanguinis miſſione adhibeantur ſyrupi refrigerantes, donec videamus, infracta nimia ſanguinis ebullitione, naturam poſſe Variolarum fermentum ad cutim propellere. Tunc quoque proficua ſunt remedia Paregorica, qualia ſunt laudanum liquidum, diaſcordium in aquis refrigerantibus. hęc enim minuendo ebullitionem, & ſedando irritationes ſunt cauſſa, ut natura ſui deſpumationem moliatur, ſecretumque à reliquarum partium conſortio fermentum ad cutim protrudat. Si natura è contra ſegnis ſit, ad juvandam expulſionem per triduum locum habet lapis bezoar ad grana 8. in pueris, in adultis verò ad gr. xv., vel ſcrupulum 1. prout lapis bezoar eſt orientalis, vel occidentalis.

C. Hæc tua medendi methodus pugnat cum Hippocratis pręceptis: per hunc ſiquidem maximum Doctorem concocta non cruda in principio medicare debemus, atque movere.

M. Materia in Variolis turget in principio porrò quando adeſt turgeſcentia juxta Hippocratis mentem uſurpanda ſunt medica-

dicamenta. Idcircò juvare debemus illam turgeſcentiam ad extra; & multo magis, quia natura aggreditur, datque illius expulſionis ſigna, Medicuſque ſequi debet naturæ inclinationem juxta illud præfati Hippocratis – *Quò natura vergit, eò ducere oportet*, non abs re igitur præſcribuntur bezoartica.

C. Cur non uteris potiùs contrayervâ; pulvere viperino, ſtibio diaphoretico, vel gelatinâ C. C. quàm lapide bezoar, cum ut plurimùm lapis iſte ſit adulteratus, languidaſque vires, excluſo fuco, nanciſcatur? Ettmullerus, Guarinonius, & Hildanus hoc remedium floci faciunt, quorum poſtremus centuria 6. obſervatione 89., & ſequentibus ſcribit lapidem hunc frequentiſſime adhibitum ſolere plurimùm nocere; ſeque ex illius immodico uſu, vidiſſe procreatam quartanam.

M. Adducta detrimenta ſæpe à fucato, non à genuino prodeunt lapide bezoar. Et ſi lapis ſit naturalis, ſi Medicus in illius uſu conſilio careat, ut contingit, dum nimiam illius copiam præſcribit, fanè noxius erit. Nihil eſt tam utile, quod idem lædere non poſſit, ut videre eſt in ſex rebus non naturalibus, à quibus poſſunt ſanitas, vel morbus oriri, prout ritè, vel perperam adhibentur. Nimius lapidis bezoartici uſus ita diſſolvit ſanguinis fibram, ut nequeat ampliùs intra ſe partes volatiles coercere, quibus deperditis, moleculæ cruoris in mutuos amplexus ruentes obſtructiones in vaſis capillaribus pariunt, à quibus tractu temporis oriri poteſt Quartana; cum hæc per Galenum ab humoribus craſſis, viſcidiſque ortum trahat. Cæterum portentoſam, & pulychreſtam lapidis bezoartici vim, ubi prudenter adhibeatur, jurè meritò ad Cœlum uſque extollit Zacutus Luſitanus in praxi medica verſatiſſimus lib. 1. medic. princip. hiſt. 22.

C. Illa vis quæcumque ſit, quam poſſidet lapis bezoar, eſt adeo concentrata, ut difficilimè fiat ſui juris. Quare ſæpe pulvis iſte obruit naturam, obſtruitque inſtar capitis mortui, anguſtiſſimos venarum lacteasum tubulos.

M. Pauca ſunt remedia, quæ ſtatim in naturam agant, major remediorum pars priùs pati debet, quàm operetur, cum enim eorum vis, ut plurimùm, in receſſu poſita ſit, ubi hæc per naturam à partium effetarum conſortio non liberetur, otiari cogitur. Hac de cauſſa venena in mortuis inertia ſunt, quia in illis abolita natura nequit pernitioſas ſubſtantias actuare. Modò in laborantibus Varioliſ natura non evanuit, nec eſt adeò infracta, ut nequeat, laxata lapidis bezoartici compage, moleculis volatilibus libertatem conciliare. Hoc remedium utique in malignis febribus, in quibus ſanguis ad coagulum vergit, in peſtilentialibus, ubi omnimodè diſſolutus eſt, & in morbis, in quibus vapidus eſt, locum non habet exiguntur tunc temporis remedia, quæ ad operandum ſtomachi miniſterio non egeant, qualia ſunt viperarum decoctio, earumdem ſalia volatilia, vina generoſa, & alia hujus generis vim operativam expeditam habentia. Reliquis diebus, permittente ætate, exhibeatur aqua ſcorzoneræ, rutæ caprariæ, vel cardui benedicti cum C.C. præparato, vel ſtibio diaphoretico. Loco prædictarum aquarum ſumi poteſt aqua violarum, capillorum veneris, decoctio lentium excorticatarum, graminis &c. Decoctum C. C. cum ficubus Foreſtus, ac Ettmullerus propinant infantibus, pueriſque, cum ficus temperet quamcumque acrimoniam ſalinam, & C. C. non nihil augeat ſanguinis fermentationem. Videndum tamen eſt, ne ex nimia vi ficuum laxetur alvus, diarrhæa ſiquidem in Variolis eſt pernitioſa. Ob timorem fortaſſe laxandi alvum Avenzoar, Marcellus Donatus, Mercurialis, aliique tradunt in cibo, vel potu Variolarum morbo laborantibus dulcia exhibenda non eſſe.

C. Ficuum decocto utebatur Avicenna hac de cauſſa, quia ficus ſunt vehementis expulſionis ad exteriora, arcentque Variolarum detrimenta, arridet ne tibi Arabis Doctoris ratio?

M. Nequaquam: ficus per accidens expellunt ad exteriora, nam corrigendo humorum acredinem anguſtias in vaſis parientem, illa laxantur, ſicque poteſt ad cutim Variolarum fermentum tranſmitti, vim incidendi non habere inde colligo, quod

in

in mictu cruento valdè proficua eſt ficuum decoctio: magno ſane argumento illis vim incidendi non eſſe; quod ſi ſecùs eſſet, præfato morbo non mederentur, immò potiùs illum augerent. Conducunt aliis immixti rebus ad tumorum ſuppurationem, non quia fluida ibi ſtagnantia ſubigant, triturentque, ſed quia ſua viſciditate tranſpiratum impediendo, ſunt cauſſa, ut plures partes volatiles ibi congerantur, à quibus promovetur ſuppuratio. Ficus per accidens ad exteriora expellere ſentit quoque celebris Viti in medendo valde accuratus.

Si fermentatio ſanguinis vegeta ſit, & natura ſe ſolâ poſſit totum Variolarum fermentum ad cutim propellere, ut multoties contingit, Medicus otiari debet. In hanc rem quadrat id, quod alibi ſcripſit Avicenna – Si natura non movet, move tu motu illius, at ſi ipſa movet dimitte eam, & operationes illius; quod pariter hiſce verbis edocet Sydenham – natura ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exequitur, materiamque debito ordine, & via ſecernit, tum etiam expellit, ut in juvenibus præſertim, vegetiſque temperamentis, noſtra ope, noſtris auxiliis, artificiiſque non indigeat, ſuis opibus locuples, ſuis viribus optimè inſtructa, ſuo denique ingenio ſatis edocta. Sanè ſi tunc temporis operaretur Medicus, vel remediis cardiacis augeret ebullitionem ſanguinis, vel phlebotomiâ, Clyſteribus, Emeticis, Catharticis, aliiſque hujus indolis pharmacis præfatam ebullitionem imminueret, ſive una, ſive altera ratione operetur, ſemper malè agit, ergo tunc temporis Medicus operari non debet. Si adaugeat fermentationem ſanguinis, confundetur cum cruore materia ab illo ſeparanda, & impellenda ad corporis peripheriam. Huic ratiocinio favet præfatus Sydenham ſic ſcribens – Non ſemel obſervavi in juvenibus, & ſanguineo temperamento præditis regimen calidius, & cardiaca eo nomine adhibita, ut Variolas ante juſtum tempus exturbent, ita parum eruptionem accellerare, ut eidem è contra obicem ponerent; ſanguine enim hiſce remediis excalefacto, & in motum violentiorem, quàm qui materiæ Varioloſæ ſeparationi ritè peragende par eſſet, concitato, certa tantùm quędam morbi indiția ſe prodidere, latentibus intra cutim puſtulis, nec ſe ultra efferentibus

 qui-

quibuſcunque cardiacis ſolicitarentur, donec tandem ſanguine ad moderatam, debitamque temperiem redacto, concesſa ſcilicèt cerevisia tenuiori, demptoque partim ſtragulorum, quibus torrebantur onere, puſtulis exiturientibus commodam viam ſtravi, atque ægrum in tuto, favente Numine, collocavi. Ubi è contra per intempeſtiva remedia, per miſſionem videlicèt ſanguinis, emeticum, catharticum, aliaque id genus pharmaca, languorem contraxit, nequitque amplius Variolarum fermentum ſolvere, illudque ad cutim propellere, tunc cardiaca proderunt, dummodò illis prudenter utatur Medicus.

Purgatio (juxta ferè commune Medicorum votum) nullo pacto convenit apparentibus Variolis. nam experientiâ conſtat Diarrhęam tunc temporis eſſe valde pernicioſam, cum per illam repentè retrocedant Variolæ, morſque paullo poſt ſubſequatur, fit enim motus naturæ contrarius à circumferentia ad centrum. Ubi corpus eſt cacochymum, ventriculuſque, & inteſtina ſordibus ſcatent, prodeſt, ante Variolarum eruptionem, aliquo blando leniente primas vias detergere, ut natura vegetior reddita poſſit promptius ad corporis ambitum Variolarum cauſſam tranſmittere. Hęc lenientia tunc temporis proficua experti ſunt Riverius, Sydenham, Diemerbrochius, VVeinhart, aliique Practici. Variolis exteriores partes occupantibus, ſi alvus adſtricta ſit, plerique Doctores ſolum poſt ſeptimam, eam laxant clyſtere ex lacte, & ſaccharo.

C. Si plures fæces in inteſtinis exiſtentes comprimant uberrima vaſa ſanguinea totum inteſtinorum tractum irrigantia, ex qua compreſſione ſanguis à partibus ſuperioribus ad inferiores expeditè deduci nequeat, hinc in Thorace, & capite aggeſtus hiſce ventribus inflammationem quàm primum ſit allaturus, exiſtimo te nulla religione vexatum Clyſteribus uſurum eſſe, etiam ſi in cute Variolæ conſpicuæ ſint.

M. Quando ex ſtagnatione fæcum in primis viis partibus ſuperioribus immineat inflammatio, æger cephalalgiâ, & pectoris orgaſmo laboret, Variolarum eruptio me à Clyſterum uſu

non

non cohibebit: nam ommiſſa hac evacuatione, obruta natura non poterit perfectè Variolas extrudere; factęque in indicatis locis inflammationes difficilimè tolli poterunt. Addendum ex ſetquilinio ſalia volatilia exhalantia, ſanguinique communicata ejus fermentationem intendere. Celebris Sidobte per totum Variolarum decurſum ſcribit debere injici ſemel in die, aut ſaltem alternis diebus clyſteres lenientes, ut alvi fluxus, & dyſſenteria arceantur, pravique ſucci ab inteſtinis ſubducantur, utiturque hoc Clyſtere, R. lactis capræ, & decocti hordei anna lib. s. melis roſati uncias duas M. & f. Clyſter. Præterea addit ſe nunquam vidiſſe ullum damnum à Clyſterum uſu prodeſſe. Immò adnotat ob clyſterum omiſſionem natam fuiſſe Diarrhæam nam fæces, inquit ipſe, in colo diutius torpentes, acriores fiunt, inteſtinorum membranas pungunt, & vellicant, ac alvi profluvium, quod adeo timetur, excitant. Celeberrimus Johannes Freind de Variolarum curatione agens catharticis utitur in ſecundaria Variolarum confluentium febre. Hęc medendi ratio quibuſdam magnæ notæ Medicis arridet. Ego tanti viri praxim multis præcipuè innixam experientis improbare non audeo, ſolum adnoto in mea regione ab illis prorsùs abſtinendum eſſe, ne æger ruat ad interitum. Quod tamen mirum eſſe non debet; quæ ſiquidem in una regioñe proficua ſunt, alibi ſæpe, ab infelici exitu culpanda ſunt. hoc pluribus in locis tradit famigeratiſſimus Baglivius in praxi medica, verſatiſſimus. Galenus obſervavit in Pleuritide Romæ, & Atehnis à phlebotomia cavendum eſſe, quæ alibi remedium eſt pręſtantiſſimum. Hinc Hippocrates in medicina facienda regionem inſpiciendam eſſe nos docet, ſcribitque Celſus omnia ab Hippocrate mutuatus; hacque de cauſſa Latinus Hippocrates nuncupatus, differre pro natura locorum genera Medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia.

C. Non approbat Sydenham Variolarum febre laborantem ante quartam lecto addicere – Qui hoc peragunt (inquit ipſe) æque peccant ac illi, qui præmaturè, & intempeſtivè cardiaca exhibent. etenim ſanguinis mictus, maculæ purpureę, & reliqua ſymptomata lethalia eò tantum nomine, præſertim ætate florentibus

Digitized by Google

tibus ſuperveniunt, quod nempe lectulo præpropere nimis affiguntur. Quid ſentis tu de hac peculiari Sydenham opinione?

M. Huic Sydenham placito adhęrere non poſſum, cum quietem in morbis pręſertim acutis commendet Medicinæ Magiſter. Vires, quibus natura uti debet ad depurandum ſanguinem, non ſunt impendendæ ad corpus extra cubile actuandum. Dum in lecto moratur æger, cute à calore illius laxata, particulæ irritantes, quæ convulſiones pariunt, poſſunt prompte è corpore expelli, quod, ubi fiat, recluſis vaſis capillaribus ad cutim pertingentibus, natura vias patulas nacta per illas ad cutim Variolarum fermentum feliciùs tranſmittit. Non video quomodò qui lecto addicunt ægrum in principio febris præcedentia Variolas, æque peccent, ac illi, qui intempeſtivè, & præmaturè cardiaca exhibent. nam qui tunc temporis ægris authores ſunt, ut ſumant cardiaca, augent orgaſmum ſanguinis, ſicque inhibent illius depurationem, ut conſtat ex nuperrimè adducta Sydenham doctrina. Qui verò cogunt ægrum ad decumbendum, nullam ſanguini tribuunt agitationem, dummodò ſtragulis ęgrum non onerent, ac proinde non percipio quomodò ex mora primis diebus in lecto, ſanguinis fluctus, maculæ purpureæ, & reliqua ſymptomata lethalia prodire debeant. Febris acuta, qua frequenter vexantur, qui quàm primùm Variolis corripi debent, non ſtatim detegitur tamquam cauſſa, quæ Variolarum fermentum debet in libertatem vindicare, ſub hac ignoratione quinam ratione utens poteſt ægro graviter laboranti lecti uſum inhibere? Cum mihi tamen pluribus nominibus compertum ſit, ut ex nuperrimè dictis colligitur, ratiocinia, in Medicina pręſertim, ſępe quoſdam Sodomæ fructus emulari, qui in cortice pulcherrimi, intus nil ſolidi complectuntur, multiſque (ut cum Celſo loquar) verba ſupereſſe, deeſſe verò medendi ſcientiam, olim decrevi periculum facere utrum Sydenham opinio, quæ ob adductas rationes abſurdiſſima videbatur, inoffenſo pede curreret nec ne: factoque ſępè periculo didici nil penes nos pernitioſius excogitari potuiſſe. Id, quod doctus, & ingenuus Author monumentis mandavit, in Anglia, aliiſque regionibus temperie ad illam accedentibus fortaſſe ſibi faventem habet

ex-

experientiam: hoc porrò videant, qui ibi degunt.

Victus in hoc morbo debet eſſe tenuis uſque ad ſeptimam, vel donec febris remiſſa ſit. ſi plenior exhibeatur, chylus inde proveniens ſemicoctus deductus in ſanguinem, obruet naturam, & non patietur eam à vinculis Variolarum fermentum expedire. Locum igitur habet panatella, vel pulmentum ex pane trito, emulſio facta ex amygdalis dulcibus, luteus ovi, & alia id genus. A' victu tenui in ejuſmodi ægris adhibito multoties adſtantium, & præcipuè moroſarum mulierum patimur contumelias, quæ nos puerorum carnifices appellant. Et ſi æger ex morbi ſævitia mori cogatur, in nos, vultu in Megeræ ſpeciem compoſito debaccantes, culpam mortis reiiciunt, ſtultos, ignaros, crudeleſquè nuncupando, qui puero acerrimè cum cauſſa morbifica dimicanti, ciboque ad vires conſervandas indigenti extremam, penè inediam præſcripſimus. Verùm clament, prout libet, veſanæ mulieres, prudens Medicus, more magnæ feræ, latratus canum ſecurus exaudiat, paratus, ubi res poſtulet ad reddendas ſolidas, & inconcuſſas operationum ſecundum regulas artis editarum cuilibet in re medica docto, & immuni à paſſionibus Judici rationes.

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger.
Interdum docta plus valet arte malum.

C. Poſſunt ne infantes imminentibus Variolis, quò concilietur illis ſomnus, in cunis agitari?

M. Minimè, ratio in promptu eſt: per hunc motum confunditur cum ſanguine fermentum, quod delàtum ad cutim debet Variolas gignere. Nam ideo talis agitatio Infantibus ſomnum accerſit, quia per illam miſcentur cum cruore ſpiritus ſeparandi in corticalibus cerebri glandulis pro ſenſuum externorum actuatione. Porrò, ſi præfata agitatio confundit cum ſanguine ſpiritus, miſcebit quoque cum illo fermentum per modum criſis ſeparandum in cute pro Variolarum geneſi.

C. Nonnulli libero aeri, vèl tempore hyemali exponunt Vario-

riolis correptos; horum morem qui ſequitur adducet ne unquam ægrum in vitæ diſcrimen?

M. In morbis ſanè recentatio aeris eſt valde proficua: nam ſi prodeſt ſanis, multo magis ægris utilis eſt, è quorum corpore per tranſpiratum egreſſa uberrima efluvia morboſa cubiculi admiſcentur aeri, quæ, ſi reeludantur feneſtræ, per illas egredientia ægrum amplius non lædent. Si verò feneſtræ clauſæ detineantur, dum aer inſpiratur, unà cum illo corpus ſubeunt, ſanguinemque iterum inficiunt. Ego ſanè nunquam accedo ad ægros in eubiculis præſertim anguſtis degentes, ubi priùs aer externus cum interiori patentiſſimè non communicet. Qui ſtudens aliorum ſanitati ſuæ rationem non habet, & ipſe ægrotat, alii corpore, hic mente, quem ab ægrorum medella abductum Antyciram mittere debemus. Cardanus ritè ſcribit hyeme quoque horam integram ſaltem quallibet die feneſtras apertas detinendas eſſe, quò cubiculi fętor exhalet, & aer interior agitatus perficiatur.

C. Quæ modò dixiſti non videntur omnimodè meæ petitioni congruere, vel ego haud ſatis tuam mentem ſum aſſecutus.

M. Me tuę inquiſitioni dilucidè facientem ſatis audi. Si ęger vexatus Variolis in lecto degens ſtragulis ita tectus ſit, ut conſervato circa corporis ambitum calore, pori cutis ſemper patuli detineantur, ſanguinemque nimio motu percitum habeat, huic proderit frigidioris aeris in cubiculum ingreſſus. Nam ut tunc in hoc per refrigerantia cibaria, potulenta, & medicamenta, imminuto inteſtino ſanguinis motu, promovetur Variolarum eruptio, ut conſtat ex ſuperius dictis, ita etiam liber aer hyemali tempore intra cubiculum receptus adjumentum afferret Variolarum eruptioni. Si verò ejuſmodi æger non decumbat, habeat ſanguinem non ſatis pro totali Variolarum eruptione fermenteſcentem, & non ſit munitus contra admiſſi aeris rigorem, mea fert opinio eum vità periclitaturum, à frigore ſiquidem imminuta ſegni alioquin ſanguinis fermentatione, conſtipatiſquè cutis meatibus, qui poterunt Variolæ erumpere? addendum

Digitized by Google

dum ſuſceptum frigus ſæpè diarrhæam procreare, qua nihil in Variolis pernicioſius eſt.

C. Mercurialis ſentit Variolarum morbo vexatis iram proficuam eſſe; ſcribitque propterea moleſtè ferendum non eſſe, quod ægri interdum iraſcantur, quia ira non nihil confert ad extrudendos humores ad ſuperficiem corporis. Contra verò hanc evitandam eſſe docet Diemerbrochius, cum hæc febrem, caloremque morboſum adaugeat. Vellem circa hanc duorum graviſſimorum Doctorum litem tuam mentem audire.

M. Inter hos inſignes Medicos lis hac diſtinctione componi poteſt. Vel ebullitio ſanguinis eſt ſegnis, & valde languida ad extrudendum ad cutim Variolarum fermentum, vel ad hoc prœſtandum ſatis valida eſt: ſi primum adſit, iraſci proderit, ſi verò alterum, erit pernicioſum.

C. Sanam ne doctrinam proponit Diemerbrochius tradens ejuſmodi ægros ante decimam quartam diem induſia mutare non debere, ne per illam mutationem frigus aliquod ſuſcipiant, & Variolę retrocedant, quemadmodum cum pluimorum deplorando exitio contigiſſe vidit? Quapropter ſic ſcribit – Præſtat, ut induſia à ſudore madida in lecto à corporis ægri calore rurſus ſpontè paulatim exſiccentur, & æger per aliquot dies ſudores, & Variolarum erumpentium fętorem patienter ferat, quàm ut maximo ſuo periculo ſordida linteamina mutet, & alia munda aſſumat. At ſi forte contigerit, ut neceſſaria aliqua de cauſſa, induſium, & lodices mutare neceſſe ſit, tunc procurandum, ut rurſus talia dentur linteamina, quæ vel ab ipſo ægro ante ſuum morbum, vel ab alio ſano per aliquot dies geſtata fuerint, nam ſemper obſervavi nitida, & recenter lota linteamina ægris nocuiſſe.

M. Hæc Diemerbrochii opinio pugnat cum graviſſimorum Doctorum placitis. Hippocrates ſentit omnia circa ægros munda eſſe debere. Doctiſſimus Valeſius in libro de ratione victus in acutis in hanc rem ſic ſcribit – Peccant vulgares Medici neque

que tunicam lineam mutare, neque lecti ſyndonem, neque manus, faciemque lavare, neque quidquam aliud, quod ad munditiem ſpectet, ſuis ægris permittentes, neque ſi longus quidem morbus ſit, quaſi magni referat volutari ſuis ſordibus; aut quaſi non augeat hoc omnem putreſcentiam. Sanè inquinamenta ſubuculæ, & linteaminum multis craſſis, viſcidiſque particulis poſſunt extimæ corporis ſuperficiei adhærere, illiuſquè poros occludere, ſicquè tranſpirationem impedire, quo nihil pernicioſius in Variolis. Addendum multas ex iis per meatus cutaneos corpus ſubire, ſanguinemquè exagitare. Nam ſi remedia Topica à calore partis excalefacta, laxata compage, multis energeticis effluviis in ſanguinem per cutis ſpiracula deducuntur, cur hac ſemita non poterunt materiæ morboſæ ad ſanguinem appellere, illumque in orgaſmum abripere? Æger ipſe, dum ad inſtar ſuis, ſe ſordibus immerſum intuetur, valdè contriſtatur, mœſtitia porrò imminuit tranſpirationem. Nam ſi animi conſolatio (ut inquit Sanctorius in Statica Medicina) quacunque de ratione fiat, aperit meatus, & largam perſpirationem facit, contrarium præſtabit mœſtitia. Multoties ægri à pravo veſtium circumpoſitarum odore læſi noctes ducunt inſomnes, ſeque in lecto agitant, donec linteamina ſordida mutata fuerint; tuncquè immunditie remota, exhilarantur, & in placidum labuntur ſomnum, qui potiſſimùm ad tranſpiratum conducit. Quod hiſce duobus præſertim aphoriſmis indicat præfatus Sanctorius — Somnus placidus adeò favet tranſpirationi, ut ſeptem horis quinquaginta unciæ cocti perſpirabilis in robuſtis ſæpè exhalent: dormiens ſeptem horarum ſpatio occultè, ſalubriter, & ſine violentia, ſolet duplo magis tranſpirare quam vigilans. Quamvis hæ obſervationes militent de ſanis, adhuc tamen, ſervata proportione, ægris ſunt applicandæ. Cavendum eſt ne ſub mutationis veſtium momento (ut rectè conſulit Joannes Bonhius) corpus præter modum denudetur, ac ut frigus externum hinc arceatur: neve acceſſionum, aut criſeos tempore, dum e. g. efflorescentiæ cutaneæ imminent, hæ mutationes peragantur. Dum mutantur lodices, & induſia, quæ ſumuntur ſint nitida, & recenter lota (quicquid ſecùs ſcribat Diemerbrochius) nam cum hæc vim lixivialem retineant, inquinamenta cuti ad-

he-

herentia reſolvere, & detergere poſſunt. Ego nunquam vidi ejuſmodi veſtium permutatione ægros in deterius ruere.

C. Nulla mente agitatione percipio quî remedia Topica prodeſſe poſſint. Cum enim debeant cuticulæ, cutiſque poros penetrare, & ingredi vaſa excretoria glandularum ſubcutanearum, quas Steno, & Borrichius detexerunt, poſtmodùm ad glandulæ cavitatem appellere, deinde ſe ſe in illius vaſa reducentia inſinuare, hoc videtur fieri non poſſe: effluvia perenniter è corpore egredientia ingreſſuris obſtaculo ſunt. Superato primo obice, aliud validius occurrit impedimentum, Malpighiana nimirùm membrana, quę valvulę munus exercens, qua parte glandula corporis ſuperficiem reſpicit, nulli ſubſtantiæ in illam permittit introitum. Cum igitur remediis Topicis ad interiora corporis via non pateat, rebus noxiis intercepta quoquè erit, ac proinde, quod ſemel à natura è corpore expulſum eſt peculiari via, nunquam poterit ad ſuum fontem hac ſemita redire.

M. Quò te immunem ab hac animi agitatione reddam, noto cum doctiſſimo Fantono, cujus Anatomiam mihi legenti ferè ſemper obvium eſt aliquid excerpendum, quod in meos traham uſus; noto inquam cum præfato Doctore præter poros majoris diametri ſubjectas miliares glandulas evacuantes, innumeros alios in cuticula, & cute reperiri irregulariter diſpoſitos, quibus nulla ſubeſt glandula. Per iſtos meatus remediorum Topicorum effluviis ingreſſus in corpus patet expeditiſſimus. Remedia Topica, illorumque vires in dubium revocari nequeunt. Contumax lues Venerea, quæ aliis pręſidiis curari non poteſt, unctione mercuriali profligatur. In Cadaveribus Hominum hac ratione curatorum aliquando mercurii guttulas in oſſium cavitatibus obſervarunt Medici. Quędam Cathartica diù arctiſſimè manibus clauſa alvum ſubducunt, alia abdomini ſuperimpoſita idem pręſtant. Adnotat Robertus Boyle quandoque felicius operari Topica, quàm per os ſumpta remedia. Illa ſiquidem inalterata ſanguinem ſubeuntia vegetiores vires exerunt, horum verò virtus ab obviis in primis viis ſuccis ſępè plurimùm enervatur.

C. Alias

C. Alius mos ridiculus penes Medicos præſertim veteres vigebat non permittendi ſomnum illis, qui phlebotomiam paſſi fuiſſent, niſi elapsâ integrâ horâ, qui tandem Recentiorum induſtriâ profligatus eſt. Hi namque periculum facturi ſomnum ſæpiſſimè indulſerunt ægris, ubi in illum proclives eſſent, ſtatim à miſſione ſanguinis, nullumque inde damnum viderunt unquam emergere.

M. Iſte ſanè mos ægris valde pernicioſus noviſſimè ſublatus eſt, per quem ægri poſt miſſionem ſanguinis horam integram evigilare coacti, evaneſcente ſæpè ad ſomnum propenſione, plus æquo poſtmodum vigiles fiebant, ſicquè Criſes per diaphoreſim, quæ tempore ſomni potiſſimum inſtituuntur, arcebantur. Somnus adveniens numorum ad inſtar ſemper arripiendus eſt, dummodò morboſus non ſit. Æger dormiens morbum non ſentit; illiuſquè natura feliciùs ſe ſe diſponit ad exuendam inſenſam ſarcinam. Cardanus agens de centum Medicorum erroribus inter illos reponit illum excitandi à ſomno ægrum, ut illi vel cibus, vel medicamen exhibeatur.

C. Permitte quæſo me, ad tuendam Diemerbrochii ſententiam, uti adducta ſuperius Hippocratis auctoritate: veſtes videlicet puras hyeme induere oportere, oleo imbutas, & ſordidas æſtate, ſicque ratiocinari. Variolarum febre laborantes plùs caloris patiuntur, quàm ſoleat æſtivum anni tempus inferre; ergo ſi æſtate per Hippocratem veſtes ſordidæ, & oleo imbutæ geſtandæ ſunt, multo magis Variolarum morbo vexati debent detinere veſtes unctuoſitate à corpore profecta ſcatentes.

M. Te monitum volo, ibi, unde extracta eſt præfata auctoritas, Hippocratem loqui de ſanorum dieta, ac quomodò pingues graciloſcant, & graciles pingueſcant. Corporibus ſanè gracilibus æſtate neque lotiones, neque indusiorum mutationes tam crebræ conveniunt, ne ex nimia tranſpiratione, & ſpirituum diffiatione, augeatur gracilitas, vireſquè debilitentur; hujuſmodi igitur auctoritas meas contra Diemerbrochium propoſitas difficultates non infirmat.

C. Ut:

C. Ut tuear Diemerbrochii ſententiam, aliâ cogor contra te inſurgere via, cum prima difficultas omnimodè ſublata fuerit. Quando æger evaſit è morbo, cum valdè languidus ſit, illi modici ſpiritus, qui poſt luctam cum cauſſa morboſa, illiuſquè expulſionem è corpore, in ſanguine remanſerunt, ibi detinendi ſunt, quod aſſequemur, vel non mutando veſtes, vel ſumendo ſubuculas, & linteamina tempore ſanitatis adhibita, quæ cum aliquid viſciditatis contineant, poterunt pręfatas partes volatiles intra corpus coercere.

M. Reſpondeo rariſſimè fieri in morbis Criſes (Criſis eſt repentina mutatio morbi in ſalutem, vel mortem, ut docent Medici) cum morbi paulatim ſolvantur. Quamobrem multocies aliqui ſani videbuntur, ſi comparentur cum ſemetipſis antea gravi morbo laborantibus, in quibus aliqua portio materiæ morboſę erit è corpore eliminanda. Sæpè videmus ægros, poſtquam febris evanuit, hebdomadas, & menſes quoque diaphoreſim pati. Tuncque corpus circumdare veſtibus humore viſcido imbutis erit pernitioſum, cum morborum reliquiæ è corpore egredi nequeant. Hinc apparet illis, qui videntur à morbo liberati, valdè conducere habere corpus perſpirabile. Si aliqui ſpiritus per cutis poros egrediuntur, remedia Cardiaca ore ſumpta, vel exteriùs corpori admota, horum jacturam ſine ullo periculo reparabunt. Quod idem præſtabunt cibaria, & potulenta volatilibus ditata moleculis. Addendum ſemper uberrimâ copia effluvia è viventibus egredi, quorum pars non modica exteriùs cuticulę agglutinatur, altera ſubuculam, & linteamina inficit, adeſt pariter illa, quæ ulteriùs progreſſa viventium atmoſphæram conſtituit. Porrò halitus corpori adhærentes, & inexiſtentes ſubuculæ tranſpirationem imminuent. Solùm poteſt nonnihil prodeſſe præfatum Diemerbrochii placitum, ubi, ob diù protractos ſudores, natura ipſa fatiſcat. Dantur nonnulli, quibus corporis ablutio tam magnum infert languorem, ut penè in Syncopem incidant. Iſti, qui ſunt rarioris texturæ, tunc plus ęquo tranſpirant ex cutis depuratione à lotione profecta. Quapropter ut hiſce ſuę ſordes proficuę ſunt; ita inquinamenta ſubuculę proderunt illis, qui ob nimiam diaphoreſim languidi, & imbecilles evadunt.

Celeberrimus Baglivius in Variolarum medela à noſtra non recedit praxi, ſic enim ſcribit – Illeſà, uti opinor, verecundià fateri poſſum me inflammatorias febres præſertim Varioloſas poſt ſectam venam (ſi tamen nimius ſanguinis ardor, impetus humorum ad caput, aut alia viſcera, & aliæ cauſæ hiſce analogæ eandem expoſcerent) tenuem victum præſcriptum, & diluentia prudenter, & tempeſtive adhibita, ſæpius feliciſſimè curaſſe; neque quiſquam Variolis laborans de vita periclitatus eſt, dummodò eundem præfata methodo tractaverim.

C. Solent, Marcelle, Variolis varia ſymptomata jungi, de quibus hactenus neminem accuratè diſſerentem audivi, te, cui plurimas hujus morbi notitias acceptas refero, de hiſce quoquè verba facere vellem, quò Variolarum diſſertatio undequaque perficiatur.

M. Symptomata Variolas ſæpè concomitantia ſunt dolor, univerſi corporis pruritus, ſitis, alvi fluxus, ſublata per aliquot dies viſio, veſtigia, foveæ, vel cicatrices ab illarum exſiccatione.

Ubi corpus actuatum ab Anima, liceat mihi cum Scholis loqui, & ſanitate præditum à rebus ſive internis, ſive externis læditur, in Anima procreatur quædam moleſta ſenſatio dolor nuncupata. Dolores, qui dicuntur carnis, animæ ſunt in carne, & ex carne (inquit Divus Auguſtinus) ſpectant nimirùm ad Animam corpus informantem, læſivaſquè motiones in illo factas cum angore percipientem. Sanè ut anima gaudet, & voluptate perfunditur, ubi blandæ motiones in corpore fiunt ad illius conſervationem tendentes, ita dolet, contriſtatur nimirùm, ubi violentæ motiones in corpore peraguntus, à quibus poſſit illius interitus oriri. Cum anima organico corpore uti debeat ad multiplex operationum genus edendum, ejus conſervationi plurimùm ſtudet; lætaturque, vel mœret prout motus congrui, vel incongrui in illo fiunt. Læſio corpori advenſens, ob quam anima illi intimè unita dolere, ſeù triſtari cogitur, eſt motus irregularis, & perturbatus conciliatus ſpiritibus nervorum tubulos incolentibus. Hunc porrò motum ſpiritus contra-

hunt,

ſunt, quando nervi ſcinduntur, vel vellicantur, vel in aere ſit motus illis valde improportionatus, qui ad aures e. g. appellens ſpiritus in nervis ſeptimi paris degentes in motum abripit illorum naturæ diſſentaneum, ut contingit dum ferrum limatur, vel dum craſſus calamus per chartam, vel per parietem ductus ſtridorem efficit. Dolor ab irritatione profectus, ubi gravis, & contumax ſit, trahit ſecum inflammationem. dum enim nervi irritantur, convelluntur, contractiquè, cum in pluribus locis vaſa ſanguinea amplectantur, illorum claudunt cavitatem, ſicque ſanguinis per tubulos impeditur excurſus. Ab inhibito autem progreſſivo ſanguinis motu prodit inflammatio, quæ nihil aliud eſt, juxta doctiſſimum Bellinum, quàm ſtagnatio ſanguinis in vaſis, vel extra vaſa.

Dolor, quem laborantes Variolis patiuntur, fit ab irritatione, & ſolutione continui. Irritationem gignit cum ſanguis inſigniter ebulliens, tùm Variolarum fermentum, quod acidorum indolem ex parte nactum, de illorum acumine quoque participat. Addendum fluida ſtagnantia in cute, ibique Variolas procreantia, dum putreſcere incipiunt, acorem nervis moleſtum adipiſci, à quo, præter irritationem, fit quoquè ſolutio continui. Acidum, ut rectè inquit Helmontius, extra ſtomachum hoſtile eſt, & toti corpori infenſum. Remedia ſedantia dolores ab irritatione profectos reduci poſſunt (ut colligitur ex iis, quæ in primo congreſſu tradita ſunt, ubi actum eſt de ſternutatione) ad quatuor genera: ad anodina, ſeu narcotica, viſcida, vel oleoſa, aquea, & diaphoretica. Nulla aptior curatio inſtitui poteſt ad citò ſedandum Variolarum dolorem, quam remediis ſuperius propoſitis promovere illarum eruptionem, & maturationem.

Pruritus eſt doloris ſpecies; ut docet Galenus lib. 3. de diff. ſymp. c. iij. Ne igitur eandem crambem recoquam, de illius geneſi, cauſſiſque ſermonem non habebo. Hoc ſymptoma torquet ægros cum maturantur Variolæ, & præcipuè dum exſiccari incipiunt. Summa ope niti decet, ne pueri ſcalpant, aut perfricent partes pruritu vexatas, quorum alterutrum ſi ſæpè,

& valide peragant, magnæ, & indelebiles cicatrices procreantur faciem deturpantes. Vinciendæ ſunt tunc temporis puerorum manus goſſipio, vel chirotecis obducendæ ſunt, hac enim ratione iis uti non poterunt, vel eas innoxie corpori, & potiſſimum faciei admovebunt. Mulieres ad minuendum pruritum, partes ſolent abſinthio leviter percutere, quem morem non approbat Marcellus Donatus exiſtimans cum Galeno illud foris adhibitum vim ſtipticam poſſidere. Sine ulla religione exterius adhibeatur abſinthium, cum enim alkalicis particulis imbutum ſit, poterit pruritum à ſalium acidorum indole pendentem imminuere. In hoc opere preſtando abſinthium ſiccum viridi præponatur; ex illo namque ſal alkalicum promptiùs elici poteſt: Chymici extracturi è ſimplicibus ſalia ſepiſſimè illa comburunt. Ad ſedandum pruritum remedium reliquis preſtantius eſt balneum aquæ dulcis, in qua bullierint malva, abſinthium, violaria, flores ſambuci, folia lapatii, nicotianæ, aliorumque ſimplicium hujus indolis, lavando partes prurientes, vel iis ſuperponendo linteola hujuſmodi decoctione madida.

Natura Animalibus ſitim ſtimulum ad ſumenda potulenta indidit, quò ipſa per potum corporis indigentiis proſpicerent. Aqua eſt adeò animalibus neceſſaria, ut ſine illa eorum Oeconomia ſubſiſtere nequeat. Si ſaliva, quæ nihil aliud eſt quàm aqua variis corpuſculis ſolidis ditata, in oris cavitatem non eructaretur, cibariorum ſaporem non perciperemus, quia ſalia, quibus ſapor eſt alligatus, non agunt, ac proinde non ſentiuntur, niſi diſſoluantur ab aqua: linguam ad manifeſtandos noſtros conceptus mentales movere non poſſemus, reliqua verò animantia cor ſonos non procrearent, quibus editis, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, in unum coeunt. Fibræ faucium, gulæ, & cardiæ, humido deficiente, contractæ ſe mutuo lædentes moleſtam in anima parerent affectionem, cibariorum deglutitio impediretur, cum pharyngis muſculi humido deſtituti contrahi nequeant. Si Ventriculo non ineſſet aqua, moleculę diverſę indolis portentoſum illius fermentum conſtituentes cibariorum meatus ad abſolvendam coctionem penetrare non poſſent. Ut acervus arenæ aridus ſe ſe nequit inſinuare, & excurrere per canalem

an-

anguſtum, ubi aquę non admiſceatur, ſic, ut inquit Alfonſus Borellus, partes ſolidæ chyli, ſanguinis, bilis, aliorumquè fluidorum corporis animalium nequeunt per vaſa gracilia moveri abſque aquæ vehiculo, vel alterius liquidi fluiditatem ab aqua mutuantis. Omnia ſiquidem fluida noſtri corporis, ſi aerem, & ætherem excipiamus, ſuam fluiditatem ex parte aquæ debent acceptam referre, cum per obſervationes à Levenokio habitas nihil aliud ſint, quam aqua variis corpuſculis ſolidis impregnata, quod etiam conſtat ex chymica analyſi. Sitis ab Ariſtotele malè definitur per appetitum frigidi, & humidi, cum melius tollatur potu calido quàm frigido. Sitis fit vel à deficientia humidi, vel à ſalibus congeſtis, & irritantibus partes, quæ ſunt ſitis ſubjectum, fauces videlicet, æſophagum, & os ſuperius ventriculi. Si una, ſive altera ratione fiat, liquida calida ſunt aptiora frigidis ad illam ſedandam, cum melius ſe ſe inſinuent intra ſitis ſenſorium, promptiuſquè ſalia diſſolvant. Potus quoquè calidus inſervit ad profligandos varios morbos, ut colligitur ex iis, quę celebris vir Joannes Baptiſta Davini Ducis Eſtenſis Mutinæ Archyater nuperrimè ſcripſit in ſua docta, & elegant diſſertatione de vini calidi potu, quæ miras utilitates inde emergentes patefaciens multis incitamento erit ad hujuſmodi potum uſurpandum. Quod ubi fiet, plures ſanè morbi contumaces curabuntur, authorquè remedii adeo prompti, & proficui ad Cœlum uſque laudibus extolletur. Ego, qui à pueritia Cardialgiæ obnoxius eram, ex calidi vini potu maximum levamen percipio, ſperoquè quam primum me omnimodè ab illa liberatum iri; ac proinde gratias ago cumulatiſſimas clariſſimo Medico ob hoc divinum, ut ita dicam, inventum, & famigeratiſſimo Muratori, qui Authorem impulit ad illud publici juris faciendum. Sitim in Variolis cùm à deficientia humidi, tum à ſalibus profectam nonnulli cum Marcello Donato acidis potionibus tollunt, quæ tamen à VVilliſio improbantur. Nos ſic diſtinguimus: ſi præter ſitim, cohibendus ſit nimius ſanguinis orgaſmus, ſeu excedens fermentatio, tunc ſanè acidorum uſus valde commendandus eſt. Ubi verò ſimul ſedanda eſt ſitis, & languidus motus inteſtinus ſanguinis augeri debet, tunc, inhibito acidorum uſu, præſcribatur decoctio aniſorum, feniculi,

 apii,

apii, radicis graminis, & hujus indolis ſimplicium vi incidendi præditorum. Sagacitas in Medico exigitur ad eruendas morborum cauſſas, pro quarum diſparitate contrariis quandoque viis incedere debet.

Diarrhæa, quæ prodire poteſt ab acredine bilis, ſucci pancreatici, fluidi glandularum inteſtinorum, à fęcibus in inteſtinis craſſis induratis, vel à pororum cutis conſtipatione, in principio hujus morbi contingens, ne impediatur Variolarum eruptio, ſiſtenda eſt clyſteribus adſtringentibus, quibus terra ſigillata, bolus armena, vel alii pulveres alkalici admiſceantur. Ex illius ſuppreſſione nullum ægro damnum adveniet, dummodo patuli cutis pori ſerventur. Fluxum alvi in fine hujus morbi advenire ſolitum Avicenna cohibet trochiſcis de ſpodio, ribes, & ſeminibus acetoſæ, quod ſemper tamen pręſtandum non eſt. Nam ubi modicè Variolæ eruperint, ſatiſquè purgatæ non fuerint, alvum laxam detinere proderit, ne impediatur naturæ motus portionem materiæ morboſæ ad cutim non tranſmiſſam, ad inteſtina ablegantis. Si verò Diarrhæa protrahatur, timorquè juſtus adſit, ne acres humores exulcerando inteſtina dyſenteriam procreent, pręmiſſis remediis detergentibus, & lenientibus, ad adſtringentia confugiendum eſt.

Ad deffendendos oculos ne lædantur, illiniantur palpebræ, canthiquè eorum ſanguine pipionis ręcenter mactati, lacte muliebri, in quo cocti ſint flores ſambuci, vel fiat hoc collyrium. R. aquæ plantaginis uncias tres, tutiæ præparatæ, croci an. gr. xij. M., & ligentur in nodulo, qui præfatæ aquæ infundatur in loco calido.

Exſiccatis, deciſiſquè cruſtis abluatur facies lacte aſinino, vel caprino recenter emuncto ſaltem per dies 20. Et ne ab incongruis foſſiculis deformis remaneat, illiniatur oleo vitelli ovi, tartari, vel pinguedinę humana. Ad foveas Variolarum tollendas Baglivius proponit ſequens unguentum, quod in Variolarum maceratione poteſt quoquè inſervire ad ſedandum dolorem emendata humorum acredine. R. olei amyg. dulcium uncias tres

ſper-

ſpermatis Ceti drachmas tres, olei ſtillati Rhodii gut. iij., fiatque unguentum.

Cum pro diverſitate fermentationis ſanguinis in Variolis modò remedia adhibenda ſint, modò opus naturę reliquendum; dumquè remediis utimur, nunc augendus ſit maſſæ cruentariæ motus inteſtinus, nunc minuendus, patet in morbis curandis Empiricos ſiccis faciendos eſſe, qui nulla habita cauſſarum ratione, indiſcriminatim omnibus eodem morbo laborantibus idem remedium exhibent. Duo crura, quibus Medicus morbos profligaturus inniti debet, ſunt ratiocinium, & obſervatio, quorum alterum ab altero ſeparare ſummum piaculum eſt, cum ab hujuſmodi divortio Hominis vitę periculum immineat, qui cętera animantia ſuâ præſtantiâ longe antecellit. Hominem namque (ut inquit diſertiſſimus Fernelius) ita fabrefecit natura, ut ex ipſo tamquam ex abſolutiſſimo ſui operis exemplari de ſe fieret exiſtimatio. Et ſi nihil portentoſi in Homine clauderetur, cum nos illius ſpeciem conſtituamus, ejus conſervationi magnoperè ſtudere debemus. Certum eſt (ſic ſcribit Baglivius) praxim à quadam veluti mixtione rationis, & experientię oriri, & per eandem confirmari. Hippocrates docet eidem Homini diverſis temporibus eodem morbo laboranti, idem remedium exhibendum non eſſe. Hoc idem adnotatum fuit à Divo Auguſtino huſce verbis in lib. de Civitate Dei – Medicus quidam ęgrotanti dederat pharmacum, eoquè ſumpto convaluit ægrotus. Evenit, ut aliquantò poſt idem morbus recurrerit, ęgrotus cum ad idem pharmacum, quo prius convaluerat, confugeret, nec ſentiret commodum, acceſſivit Medicum admiratus quod factum eſſet, ut ea medicina, quæ prius depuliſſet morbum, poſtea magis aggravaret. Hujus rei cauſſam ſciſcitanti Medicus reſpondit fateor utique idem fuiſſe pharmacum, ſed ideo non profuit, quia ego non dedi, ſentiens Medicorum eſſe dare pharmaca, qui norunt quandò, & quomodò danda ſint. Modò majus viget diſcrimen inter Hominem, & Hominem, quàm inter individuum ſub diverſa temporis differentia conſideratum. Idcircò patet quanti faciendus ſit iſte diſcurſus à quibuſdam Clinicis ſe ſe primarios Medicos jactantibus frequentiſſimè habitus,

Elenchus rerum in Tertio Congreſſu diſcuſſarum.

VEtorum cùm damni, tùm utilitates obiter indicantur pag. 110. Variolarum cauſſa è terræ viſceribus depromitur p. 111. Hoc principium è ſoli ictibus emergens aeri admiſcetur, dumque in humani corporis penetralia per Tracheam, vel chyli ſemitam deducitur, ibi otiatur, donec congruam nactum occaſionem in actum erumpat, ad inſtar plurium aliarum rerum ſinguini adin xtarum, quæ ibi diu dormiteſcunt, poſtmodùm ſublatis impedimentis, ſuas vires prodant *ibid.*, & p. 113. Qui Variolarum cauſſa tradidit in corpore iners ſit p. 113. 114. Lues, quæ annis nuperrime elapſis boves invadens robuſtiores interimebat, ſuperſtitibus debilioribus, perpenditur, hujuſque curioſi phænomeni cauſſa adducitur p. 114. Privæ indolis molecularæ, à quibus Variolæ ſiunt, non in una tantum regione, ſed in pluribus, uſque à ſe diſſita è terra erupere *ib.* Cur aeri admixtæ quædam ex illis innumeris effluviis ibi degentibus ſtatim vertunt in ſuam naturam, id verò in Hominis corpore non peragant p. 115. Quotuplici ratione morbi novi ſiant p. 115. 116. 117. 118. 119. 120. Fiunt morbi novi vel ab aliquo principio exotico è recluſis terræ viſceribus ad atmoſphæricum aerem tranſ miſſo, vel ex peculiari effluviorum coitu, qui nunquam antea factus fuerit p. 115. Quorumdam cibariorum uſu à quibus abſtinuerunt Veteres, novos morbos gigni poteſt p. 116. A Diluvio ab arti ad menſas profectæ ſunt carnes *ib.* Dum ad alendos Homines brutorum carnes traductæ ſunt, Cerebra intacta relinquebantur, cui autem ita factum ſit *ib.* Invectus inter Homines pro cibo carnium uſus reprobatur *ib.* Quam non arriſiſſet Pythagoræ pateſacit excogitata ab ipſo metempſychoſis *ib.* Inverſus ordo in ſumptione cibariorum novorum morborum ſator eſſe potest p. 116. 117. Aquæ à terra imbutæ privis effluviis morbos nunquam antea viſos inſtre poſſunt p. 117. *ib.* plurium aquarum perniciofiorum mentio ſit. Opinio illorum, qui cum Democrito plures Mundos admittentes ſentiunt novos morbos prodire, ubi diſſoluto uno Mundo, quædam corpora è Mundo corrupto ad ſuperſtites Mundos appellunt, joci gratia proponitur, & refellitur p. 117. 118. Novi morbi fieri poſſunt ob humanam naturam inſigniter alteratam, quæ ſuo plurimùm receſſit ab illo ſummo robore, quod in Ante-diluvianis Hominibus vigebat p. 118. Cenſus de Hominum ætate toto terrarum orbe habitus, imperante Veſpaſiano, nos docuit Italiæ partem Apenninum, & Padum interjacentem longævorum ſedem fuiſſe. Longævi tunc ibi reperti p. 118. Inquiritur p. 119. an anni ante-diluviani noſtro huic civili anno æquales fuerint, vel per annos ejuſmodi curſus Lunæ menſtrui, non oſſe [illegible], debiti eſſe intelligi, diriminturque quæſtio ſtatuendo ſolidis fundamentis illos annos à noſtris non differe: Cauſſæ longævitatis vitæ in ante-diluvianis p. 120. Non arridet opinio illorum, qui volunt tunc temporis Solem ſuo motu perpetuò æquinoctialem circulum deſcripſiſſe, ac proinde Ver totum annum occupaſſe, ſublata autem temporum inæqualitate, Homines nil ſibi infenſum experientes, æqui illi, diutiſſimè vixerunt. Cenſeo longævitatem vitæ tribendam eſſe ex perfectione aeris, aquæ, terræ, & cibariorum illibatis virtutes ſibi in Mundi primordiis à Deo largitas, poſſidentium, à victus ſimplicitate, & firmæ Parentum valetudine, quæ communicata filiis fort elixir vitæ, balſamumque præſtantiſſimum p. 121. Explicatur cur quidam morbi olim nonnullis regionibus exotici, modò illis ſimiliter ſint *ib.* Quamvis Variolarum cauſſa venefica ſit, non tamen ſtatim ſuam vim exerit: veneni ſiquidem prout hanc, vel illam naturam ſortiuntur, citò, vel ſerò operantur. Veneni temporaria, quæ certis occidant temporibus à variis Doctoribus propoſita ſunt quid commentitium p. 122. Vario-

larum

Jarum ſeminium è terræ viſceribus eductum, ut plurimùm ſolùm in poenis, & infantibus operatur, quia ibi peculiarem diſpoſitionem ad operandum invenit p. 123. Motus inteſtinus aeris nequit diſſolvere compagem ſeminis Variolarum aeri inexiſtentis, & à hoc præſervari, viget hujus ſeminii promptuarium p. 124. 125. Aer eſt cauſſa inſenſibilium plurium rerum p. 124. Quænam partes ad aeris ſyntheſim concurrant ib. Ab aere prodit omnium corporum atmoſphera ib. Qui fiat, ut Variolarum cauſſa perenniter in aere degens, ut plurimum, una tantum vice Variolas procreet p. 126. 127 128. Ratio penès Turcas vigens exercendi Variolas per tranſplantationem ad Anglos, & potiſſimum Londinenſes profecta p. 127. Modus eam inſtituendi ib. Tutam non eſſe Variolarum tranſplantationem vide in p. 128. Septentrionales Populi, immò, & Pariſienſes ſæpè Variolis corripiuntur, & cur hoc contingat p. 129. Indi Orientales hunc morbum contemnunt, quod fit quoque in America Meridionali ib. Indi Occidentales, in quibus morbus hic valdè ſævit, quoddam portentoſum idolum efformarunt, quod, graſſantibus Variolis, adeunt, rogantque, ut ab illis pueri evadant ib. Cur reliqui morbi, qui fiunt ab aliquo principio extraneo in aerem immiſſo ſemper in Mundo non dorent, contemnum verò fiat in Variolis p. 130. Corpuſculorum concretiones, quæ difficilimè diſſolvantur ib. Ante Diluvium Variolæ procreatæ non ſunt, quia tunc terræ viſceribus clauſa manſerunt p. 130. 131. Peſtes, quæ primùm Bruta invaſerunt, poſtmodùm Homines aggreſſæ ſunt p. 132. Authores, qui harum meminerunt ib. Qui fiat, ut Variolarum cauſſa è terra erumpens Homines duntaxat invadat p. 132. Peſtes peculiares, quæ vexarunt bruta, nullam verò læſionem Hominibus intulerunt ibid. Ex venenis quædam infenſa bruta Homines non lædunt, & è contra ib. Ludovicus Antonius Muratorius laudatus p. 133. Variolarum cauſſa acidam indolem poſſidet, hoc quidem Doctores tradunt ib. Salia acria non eſſe Variolarum originem probarunt vide in p. 135. Acerrime impugnantur illi, qui negant acida ſanguini ineſſe p. 135. 136. Antagoniſtarum motivis, quæ p. 138. 139. proponuntur, ſatisfit p. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. Alia objectio adducitur p. 146. quæ diluitur p. 147. Acida, quæ uberrima copiâ hoſpitantur in aere, per Tracheam, primaſque vias in ſanguinem deducta ibi propriam retinere indolem, quod ſi ſecùs eſſet, quibuſdam morbis, & dum tempore æſtivo præ nimio calore languemus, proficua non eſſent p. 136. Homberg Chymicus præſtantiſſimus, pluribus factis periculis, detexit acidum in ſanguine Hominis, & plurium aliorum animalium deliteſcere: ibi enim abditus eſt quidam rubeus liquor, qui, ut ex effectibus collegit, acidi, & alkali naturam ſortitur ib. & p. 137. Vis fermentorum primarum viarum, & ſanguinis non eſt tanta, ut ciborum moleculas in ſua prima componentia reſolvat, hinc nil mirum ciborum paſſiones in chylo, & ſanguine vigere p. 136. 137. Acida utique chylum, ſanguinemque coagulant, ut p. 138. tradunt Antagoniſtæ, verùm acida ſe ſolitariè a ſanitatis chylo non abundantur: ac proinde, ab illis chylo conciliatur tantùm viſciditas, quæ à pluribus Abdominis fermentis, & à multiplici partium ſolidarum motu omnimodè deſtruitur p. 141. 142. Plures congeruntur cauſſæ motum chylo tribuentes, ut innoteſcat illum ſuam fluiditatem tueri: eſt ſiquidem chylus unum ex fluidis ab extrinſeco, quæ, ut fluiditatem ſervent, motu indigent, ne partes magnorum contactuum capaces ad illorum ſyntheſim concurrentes in unum confluant, quod, ubi fieret, fluiditas deperderetur p. 143. Hæc pulcherrima illa fluidorum diviſio in fluida ab intrinſeco, ſeu ratione figuræ componentium, & fluida ab extrinſeco, ſeu ratione motus excogitata à noſtro doctiſſimo Gulielmino propoſita. Ex ſanguine valida calcinatione elicitur ſal marinus, qui acidam indolem ſortitur, evincit acidum in ſanguine contineri. Olea quoque diverſæ indolis è ſanguine extracta idem probant,

cum

Digitized by Google

eum hæc intra ramoſas particulas captivatum detineant acidum Nitrum, quod in ſangue ne reperitur, fautoribus acidorum favet, nam ad ortu ſyntheſim acida concurrunt, ut ex Mayovv experimentis hauritur p. 142. quæ aliis compartibus juncta ſuam naturam ſervant; ex nitro enim ſpiritus acidus elicitur. Nonnullas difficultates hactenus dicta impetentes ſolutas vide in p. 146 147. Salia acida in ſanguine exiſtentia non deſtruuntur per fermentationem ſanguinis, ut Adverſarii tradunt p. 139. ſed ſolùm diſgregantur, quodnam autem ſit naturæ conſilium, dum hoc præſtat, vide in ſine p. 140. Interdum ex inſipidarum rerum conſortio vim novum ſaporem procreandi adipiſcuntur p. 144. Qui autem fiat hæc ſaporum immutatio, explicatur p. 145. Acidum volatile Variolarum auctor magis in cute quam alibi ſuam vim exerit, quia hæc præ reliquis partibus eſt hujus morboſi principii actioni obnoxia p. 148. Fieri enim ex matre, quæ dum illum utero gerebat, Variolarum morbum paſſa eſt, quandoque ibi hunc morbum non contrahit, curioſi intellectui qui tunc ſcitu ab hac labe immunis ſit, adeant p. 149. 150. Dictum eſt quandoque, non ſemper, quia interdum lues à matre in ſilium derivatur, quod innoteſcit ex maculis pluribus vieibus conſpicuis natoſcuntur in lucem editi p. 150. Prægnantes vexatæ Variolis ſunt in vitæ diſcrimine ib. Quomodò hæ tractandæ ſint docet Bellingerus. Quonam anni tempore Variolæ ſe magis prodant, quæque ætas minùs, quæ verò plus ab illis ruſſeſcant p. 151.

Elenchus eorum, quæ in ultimo Congreſſu ad rationis trutinam revocata ſunt.

Plures divites, quàm pauperes Variolis occumbunt pag. 152. 153. Multoties plus eſt à Medico, quam à morbo periculi *ibid.* Animi pathemata mortem accelerant ib. Malpighius paucis, iiſque ut plurimum ſimplicibus utitur remediis p. 154. Baglivius remediorum vim in morbis præſertim acutis reprobat ib. Simplicia remedia reliquis præferenda ib. Quid ex plurium rerum diverſæ indolis coalitu emergere debeat, ubi nova fiat compoſitio, Medicos latet ib. Caveant ægri à Medicis nova remedia propinantibus: eorum ſiquidem vim, & doſim ignorant ib. Quicquid ad parari, magnique Mundi conſervationem, & ad labefactatam naturam reparandam exigitur, Deus luculenter produxit, Medicus igitur inquirat, non componat remedia p. 155. 156. Remedia à Deo condita ſimplicia ſunt p. 156. Argumentum magni ponderis ex Boyle deſumptum contra illos, qui compoſitis utuntur remediis ib., & p. 157. Remedia compoſita magnarum artium fortuitò condita ſunt ib. Quid tres viri graviſſimi de Theriaca ſentiant ib. Prœponuntur morbi, quæ videntur remediorum compoſitorum uſum ſuſtinere ib., & p. 158. Hujuſmodi fundamenta reſtringuntur p. 158, & 159. Quid præſtant debat in uſu novorum remediorum p. 160. Caſus, bruta, & ratio, quæ Medicinam procrearunt, eandem quoquè alunt ib., & p. 162. Caſus maxima viperarum ad curandam Elephantiaſim detecta eſt, caſus quoque diætam invexit. Vires dictamni cretici nos capræ ſylveſtres docuerunt. Hippopotamus, ubi potiſſimum uſurpanda ſit phlebotomia, indicavit. Capræ, & Cameli vim Cafe competentem abigendi ſomnum patefecerunt; à brutis clyſterum uſum didicimus. Bos emaciatus, viribuſquè deſtitutus, qui ex potu aquarum Porrectæ pinguis, & robuſtus evaſit, harum aquarum vim aperuit. Ego ſanè, qui aquis Thermalibus congruo tempore frequentiſſimè utor, ut teſtari poſſunt plures olim ægri, quibus in ea medendi ratio comperta eſt, nullam aquam Porrectana præſtantiorem ad morbos contumaciſſimos curandos inveni; hinc Bononienſes Medici libera, ut cum

noſtro ſolo Auctor Naturæ hanc aquam mirificam largitus ſit, ad illam tamquam ad ſacram anchoram confugiant, ubi morbis, qui aliorum remediorum vim eludant, portentosè medeti velint. Ego graviſſimos vomitus, inveterata aſthmata, cephalalgias, viſcerum ulcera, dyſurias, obſtructiones, non confirmatum Hydropem, Arthrides, aliaſque ægritudines, quibus rurſus dicta reliqua remedia imparia erant, largo Porrectanæ aquæ potu profligavi, ac pro re ſæpe vidi eo ejuſmodi aquam modò rſdem vi polychreſtâ imbutam eſſe, qua retroactis Sæculis (ut ex Cerchii, Savonarolæ, Baccii monumentis, & ex operibus ineditis Caponi colligitur) prædita erat. Cum igitur æquam indigenam præſtantiſſimam habeamus, cur ad exoticas confugimus? Nimirum, Patriæque injuſtus eſt, qui non obvia, & optima, at Exterorum niſi pat medicamenta. Hoc tamen mirum eſſe non debet.

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,

Vicinumque pecus grandius uber habet.

Hoc fatum vernacula præſidia ſubeunt, ut floci fiant; quod alia quoque tangit:

Uxor amatori ſordet, amica placet.

Virtutem præſentem odimus, ſublatam ex oculis quærimus invidi. Ne moreretur cuæſo Lector benevole me ſuſiùs de Porrectanæ aquæ ſcribere, quàm Elenchi natura patitur; quæ hic legit in quarto diſſertationi congreſſu, cujus modò percurris Epithomen. Dum veteres Medici ſimplicia amara ad rem ordinam traxerunt, ratio ſolum ad id præſtandi in eos impulit *p.* 161. Quamvis ut plurimùm Variolæ curatione non egeant, illarum tamen medela ſemper naturæ committenda non eſt *p.* 162. Pro curatione Variolarum hæc ſervanda ſunt: ſi æſtus cauſſæ illarum nimia ſit, temperanda eſt, deinde naturæ ſuppetias afferre debemus, ubi languida ſit, poſtmodum cutis meatus recludantur, vel paululi ſerventur *ib.* In nimio ſanguinis fervore confundente cum materie variolarum particulis fermentum in cute ſeparandum pro Variolarum geneſi, locum habent in pueris venæ ſectio, in infantibus hirudines, vel cucurbitulæ *p.* 163. Difficultates hanc medendi rationem impeditas ſolatur vide *ib.*, & *p.* 164. Inſtituta ſanguinis miſſione, uſurpentur ſyrupi refrigerantes, donec, infracta nimia ſanguinis ebullitione, natura poſſit Variolarum fermentum ad cutim propellere. Tunc quoque proficua ſunt remedia Paregorica *ib.* Motive convellentia utium lapidis bezoartici, quando natura ſegnis ſit ad extrudendum ad cutim Variolarum fermentum, præſcribantur *p.* 165. 166. Poſt lapidis bezoartici, contrayervæ, vel ſtibii diaphoretici uſum triduo inſtitutum, reliquis diebus exhibeatur aqua ſcorzoneræ, rutæ caprariæ, vel cardui benedicti cum C. C. præparato, vel aliæ aquæ hiſce analogæ in operando *ib.* Ficuum decoctio hic locum habet, ſed non ob rationem ab Avicenna allatam *ib.*, & *p.* 167. Si fermentatio ſanguinis vegeta ſit, & natura ſe ſola poſſit totum Variolarum fermentum ad cutem propellere, ut multoties contingit, Medicus otiari debet *ib.* Purgatio ante Variolas locum habet. In ipſa Variolarum eruptione, ubi, ex ſtagnatione fœtum in primis viis, partibus ſuperioribus immineat inflammatio, æger cephalalgiâ, & pectoris orgaſmo laboret, Clyſteres ſine ulla religione uſurpentur. Clyſteribus in toto Variolarum decurſu feliciter utitur Sidobre *p.* 169. Quid ſentiendum ſit de praxi Joannis Freind exponitur *ib.* Validis rationibus reprobatur opinio Sydenham, qui ante quartam Variolarum febre laborantem lecto non addicit *p.* 170. Victus in hoc morbo debet eſſe tenuis uſque ad ſeptimam, vel donec febris remiſſa fuerit. In quo interdum errderit Medici ab ejuſmodi victu *p.* 171. Graviter errat, qui, imminentibus Variolis, vel in earum eruptione, in eum infantes agitat *ib.* Quando aeri frigido laborantes Variolis citra periculum exponi poſſint *p.* 172. Si ebullitio ſanguinis ſegnis fuerit, & valdè languida ad impellendum ad cutem Variolarum fermentum, tunc proderit ægros ſurſei,

ſecus

fectis verò ſi ad hoc præſtandum ſatis vegeta fuerit *p.* 173. Munditiès ægris valdè prodeſt, ac proinde hæc Variolarum morbo detentis eſt præſcribenda *p.* 173. 174. Tollitur circa hoc Antagoniſtarum objectionem *p.* 176. 177. Remediorum Topicorum vis evincitur *p.* 175. Mos non permittendi ſomnum ægris niſi elapsâ integrâ horâ à miſſione ſanguinis, ritè ſublatus eſt *p.* 176. Symptomata Variolas concomitantia *p.* 178. Doloris idea *ib.* Cauſſæ illum procreantes *ib.*, & *p.* 179. Ubi dolores graves ſunt, & contumaces, trahunt ſecum inflammationem: inflammationis natura *ib.* Remedia dolorem ſedantia ad quotcenſes redigantur *ib.* Pruritus, & dolor ab eodem fonte proficiſcuntur *ib.* Remedia ad ſedandum pruritum præcipuè uſurpanda *p.* 180. Omnia fluida animalium nihil aliud ſunt quàm aqua variis corporibus ſolidis impregnata, ut conſtat ex chymica analyſi, & ex inſpectione eorundem microſcopio habita *ib.* Neceſſitas ſumma potus in animalibus *ib.*, & *p.* 181. Definitio ſitis tradita ab Ariſtotele convellitur *ib.* Meliùs hæc triſtis ſenſatio tollitur potu calido quàm frigido *ib.* Potus calidus multos morbos curat. Laudatur Joannes Baptiſta Davini, qui hujuſmodi potu curas portentoſas abſolvit. Sitis in Variolis juncta nimiæ ſanguinis fermentationi potu aquæ egregiè ſedatur, minimè verò, ubi adnexam habeat languidam cruoris ebullitionem, tunc enim decoctio anſerum, apii, radicis graminis, & hujus indolis ſimplicium in illius locum ſubroganda eſt *ib.*, & *p.* 182. Diarrhæa in Variolis ſiſtenda eſt, remediaque ad hoc præſtandum idonea *ib.* Præſidia pro oculorum tutamine à Variolarum læſione, & Coſmetica ad lævigandam faciem, delendaſque Variolarum cicatrices *ib.* Empirici damnantur, qui, nulla habita cauſſarum ratione, indiſcriminatim omnibus eodem morbo laborantibus idem exhibent remedium *p.* 183. 184.

F I N I S.

Lector Benevole.

Errores, qui in impreſſione Tractatus de Variolis caſu quidem, & fortuitò irrepſerunt, ut in appoſita Tabella vides, ne dedigneris corrigere, quod ſi aliqua adhuc emendanda tibi occurerint, id ut benignè facias, rogaris: itaque

Paginâ 12. *Lineâ* 22. *pro* Guglielmmus *lege* Gulielmmus idem fac *pag.* 87. *lin.* 35. *pag.* 143. *lin.* 5. & *lin.* 19. *pag.* 144. *lin.* 4. & *lin.* 29.

pag.	lin.	pro	lege
12	36	Iſaſas	Iſajas
21	12	perclusis	præcluſis
	18	Pleurithidem Phthiſim	Pleurithidem, Phthiſim
	32	qua nam	quanam
24	35	nonnulli	nonnullæ
25	31	politica	politia
27	8	teſtæ	teſtæ
29	2	pœnè	penè
	26	vi	vi
	27	ſanguinis	ſanguinis
30	3	inniro	initio
	11	habent, vel	habent vel
34	33	reſignet	reſignat
35	13	tocius	totius
41	33	Hæmoptoë	Hæmoptoe
43	6	æquorum	equorum
	31	phænomenon, non	phænomenon non
44	13	quam gracilia	quamgracilia
45	14	Græciæ	In Græcia
50	28	In conſpicuas	inconſpicuas
52	12	medella	medela. Ità quoque legendum eſt *pag.* 61. *lin.* 1. *pag.* 150. *lin.* 19. *pag.* 152. *lin.* 26. *pag* 161. *lin* 17. & *pag.* 172. *lin.* 13.
53	12	enim	enim
	35	eſto	eſtò
59	12	excepta	exceptâ
63	4	ſubobſchro	ſubobſcuro
65	26	enuchos	eunuchos
67	14	Epiales	Epialas
71	32	temporis	temporis
73	9	Noë	Noe.
76	23. 24	in_ commodum	incommodum
80	25	illorom	illorum
96	8	ipſique	ipſique

pag. 96 *lin.* 20	*pro* multocies	*lege* multocies	
102	7	aeris	aëreis
107	30	comendant	commendant: ſic *pag.* 108,
lin. 37., & *pag.* 110 *lin.* 26. eidem emendatione utaris.			
pag. 110 *lin.* 5	*pro* minantur	*lege* minantur	
	24	ſubactionem	ſubactiones
114	33	minima	minimas
115	18	compoſitum	compoſitum
116	20	metemphſicoſis	metempſycoſis
135	25	extingunt	extinguunt
129	34	quemdam	quoddam
	36	referentem	referens
130	11	vacarum	vaccarum
133	10	Lodovicus	Ludovicus
136	10	obſonium	opſonium
	12	pené	penè
	14	Illuſque	Illiuſque
143	2	deberent	deberet
151	26	Boerbeaave	Boerhaave
	35	facilior exercitatis	facilior, exercitatis
156	20	reruma rtifex	rerum artifex
162	30	eo quod	eò quòd
163	22	exuberanti	exuberante
165	26	pulychreſtam	polychreſtam
169	25	Atehnis	Athenis

99 94 7321

Digitized by Google

[illegible]